BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
C
55
NAPOLI

SYNODVS NERITONEN.

P. Pietro Luc.° Michieli

ex dono Auctoris.

1682.

Applicato al Coll.° di Melleum.

CONSTITVTIONES SYNODALES EDITÆ AB HORATIO FORTVNATO EPISCOPO NERITONEN: IN SVA PRIMA SYNODO

CELEBRATA ANNO MDCLXXX.
DIE XI. IVNII.

Lycij, Apud Petrum Michaelem MDCLXXXI.
Superiorum facultate.

B. N. B. NEAPO

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

HORATIVS FORTVNATVS EPISCOPVS NERIT.

SVÆ DIOECESIS CLERO, Populoque Vniuerſo Salutem.

***

OCEANVM quicunque nauigant, ne decumanis oppreſſi fluctibus in altum demergantur, miſeroque depereant naufragio, geminas oculorum acies in Helicen,ac Cynoſuram intendunt, vt tramite non obliquo, non deuio in eum, ad quem velis, remiſque contendunt, portum, valeant peruenire : haud ſecus per huius Mundi Mare nauigamus omnes, & portum æternę beatitatis, & quietis tenere votis omnibus exoptamus. Et quidem non tot infamia naufragijs ſaxa, non tot syrtes, ac breuia vaſto ſub ſinu celat Oceanus, quot, & quanta in hoc, quo degimus, fæcundo criminum ſæculo, obuerſantur. Quid enim aliud humana vita, quàm ſemper æſtuantium libidinum fretum, quàm reciprocantium viciſſitudinum Euripus? cuius ardua ſanè, & vſquequaque difficilis, dubiæque aleæ nauigatio. An non aduerſo fluctu vrgemur omnes, omnes circumagimur vrgentibus à tergo fatis? an non alius alium ven-

tus

B R NEAPOLIS

tus euertit; alius alium æſtus abſorbet; hic in fraudum cæcos ſcopulos impingens adhæreſcit: hic inter vorticoſos voluptatum ſinus Sirenum irretitur lenocinijs: hic tumeſcenti irarum, veluti ebullientium fluctuum, rabie in transuerſum agitur: hic ſuperbientis animi, deiecti, conſternatique: ille ruētibus auris extollitur, vt præceps ruat, ruit, vt ex imò nunquam appareat, & nuſquam; vſque adeò naufragiorum periculis vrgemur, ac tempeſtatibus, vt potenti loco habeatur, ac prodigio finitimus, qui è tot, tantiſque Integritatis, ac Innocentiæ diſcriminibus, non ſecùs ac Megellanica ratis nomine Victoria è vadoſis Oceani ærumnis, incolumis euaſerit. Accedit periculo materies; vt eò metuatur magis, quò exitium imminet immanius: & hoc illud eſt non mercium, non corporis, ſed Virtutum, ſed animæ. Quæ cum iſta ſint, (fratres dilectiſſimi) vnum effugium, remedium vnum ſupereſt, ne pereamus, in Dei Legem oculos vertere ſemper, nunquam diuertere. Hanc pro feliciori ſtella, pro ſecuriori Cynoſura Vobis conſtituo Synodalibus hiſce Præceptis, veluti luminibus, quæ non de meo penu, ſed ab œcumenicis Concilijs, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & vetuſtiſſimis Patrum monumentis non ſine labore ad veſtram vtilitatem deri-
Ier. 6. uaui. *State* (ait Dominus per Prophetam) *ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* Semitas igitur antiquas, ſcilicet viam bonam, vobis præmonſtro, qua Sanctiſſimi illi Sacerdotes, & Patres noſtri ad cæleſte regnum feſtinabant; Stellam indico, ad quam oculos intentos ſemper habebant. Si ab his ſan-

ctio-

[library stamp]

ctionibus nunquàm declinaueritis, nullo libidinum æſtu in tranſuerſum acti, nulla ambitionis aura inflati, nullis ſirenum deliniti præſtigijs, cunctiſque in caſſum obſtantibus periculis, inuenietis refrigerium animabus veſtris, & ſalui eritis. quod mare nauigantibus minimè contingit. quamuis enim ſtellam ducem præ oculis habeant, adhuc perire inter pericula ſolent: Lex verò Dei ſtella ſecurior affulget; non pereunt, quibus illa non occidit, ſed viam ſternit, & vires ad nauigandum feliciter ſufficit; quique ad il lam animi, corporiſque oculos intendunt, improbitatis vnda, & ſcopulos prætervecti procellas, turbines, fluctuſque circumſonantes imperterriti rident, contemnunt, exibilant. Cauete igitur Fratres, cauete Filij, ne Lex Dei vobis pereat, quia & vos vtique peribitis; & tunc illa vobis peribit, cum ab illa declinaueritis. Profectò *ij verba Dei non audiunt*, (ait D. Gregorius) *qui id, quod veritas iubet, exercere in opere contemnunt.* Cauete, ne de illorum numero fitis, de quibus per Prophetam Dominus querebatur: *Noluerunt attendere; ſed auerterunt ſcapulam recedentem & aures ſuas aggrauauerunt, ne audirent; & cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba, quæ miſit Dominus exercituum in ſpiritu ſuo per manum Prophetarum.*

Haud equidem in Prophetarum albo collocor: minus ſapiens ego ſum, imperfectus, ſocors, & omnium malorum ſentina: tamen, vt Doctoris muneri meo ſatisfacerem, pro viribus elaboraui, vt ſalutis æternæ callem vobis recluderem hiſce Conſtitutionibus, quas vobis per manum meam in ſpiritu ſuo miſit Dominus; quo fit, vt contra Domi-

num

num pugna inſtituatur, ſi contrà verba eius pugnetur. at qui erit huius pugnæ finis? *Audite Gentes, & cognoſce Congregatio* (ait ipſe per Ieremiam 6.) *quanta ego faciam eis: Audi terra: ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt*. ô quam perniciosum, verba Dei non audire, ſpiritualia nauſeare, & de Prælatorum legibus murmurare, eorumque labores maledico dente carpere, & acerbè perſtringere! Tanta huius criminis vis eſt, tanta grauitas, pondus tantum, vt aliud vix in ſacra pagina delictum reperiatur atrociori mulctatum pœna. Teſtem ſtatuo Populum Iſraeliticum; hic ex Ægyptiaca ſeruitute eductus, quę Omnipotentis prodigia non expertus eſt? quam Domini Clementiam non eſt aſſecutus? Cœlum illis penu erat opiparum, cęlicum affatim elaborans panem, ipſa vel duriſſima ſaxa perennes eliqueſcebant in fontes, Dux illis facem præferebat gemina columna, die Nubis, Ignis nocte. ſed proh ſcelus! exiguo itineris per deſertum labore perfracti, Angelorum eſcam faſtidientes, Ægypti carnium, & cæparum deſiderio flagrantes in oſtio tabernaculi conquerebãtur, collacrymabant: *Quis*
Num. 11. *dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Mãna*. O deteſtandam cupiditatum fœditatem! ô ingrati animi vitium ſingulare! Siccine ingratiſſimi homines tot, tãtaque erogata vobis beneficia rependitis? Huccine tot, tantaque Omnipotentis promerita euaſere? vt è tam diro

diro Tyrannidis iugo vindicati modicum nunc laborem ferre non poſſitis? ergo pro fauoribus querimoniæ, pro beneficijs faſtidia, pro demiſſis cęlitùs dapibus nauſeæ, & illuc redeundi voluptas, vbi ſãguine ſtabãt panis fruſta? O infelix ille Sacerdos, cui inſipida ſunt alimenta cœleſtia, & ſpiritus; & mundi illecebras, atque maledictæ carnis libertatem inhians, iam nauſeat ſuper cibis his dulciſſimis, & cæpas, & allia libidinis, ac peccatorum deſiderat: Auertat Clementiſſimus Deus à Sacerdotum omnium cordibus tàm infamem ſpiritum: auertat & ſupplicium, quo populus ille vapulauit: *Cum enim illorum voces audiſſet, iratus eſt, & accenſus in eos ignis Domini deuorauit extremam caſtrorum partem*. Meritò flagellum ſentiunt, & pœnam, qui beneficia minimè nouerunt accipere, aut abutuntur acceptis.

Ergo (fratres dilectiſſimi) Conſtitutiones has Synodales, quas per me indigniſſimum Dominus vobis tradit, maximi beneficij loco habeatis, quę & viã ad portũ ęternę felicitatis ſternunt, & vitale alimentum animæ parant, ne pereat: At ſi à via declinaueritis, ſi ęgrè feretis, erunt vobis (quod Deus auertat) in iudicium. Sic Moyſes poſtquam librum legis abſoluit Leuitis tradidit, *vt ſit tibi* (inquit) *contrà te in teſtimonium*. Sed quonam pacto ſummum illud traditæ legis beneficium contrà nos in teſtimonium? contra nos ſcilicet, ſi abutamur. Vnde Dominus ad Hebræos de lege, ac Moyſe gloriãtes, *Eſt qui accuſat Moyſes, in quo vos ſperatis*. Ille igitur Moyſes, qui dum viueret Hebræos defendebat, mortuus apud Deum acriter accuſabit, dicens, ne parcas eis, Domine; ſed furor tuus comprehen-

Deut. 31.

Io. 5.

✠✠ dat

dat illos,& depaſcatur; Legem tuam faſtidiuerunt, rebelles facti ſunt; noluerunt intelligere, vt aberrarent à ſemitis tuis: aberrauerunt, & in perpetuum pereant. Caueamus igitur, (fratres) maloque alieno dediſcamus Dei Conſtitutiones,& pręcepta contemnere, ne ſtent contrà nos in teſtimonium. Sed potius ita Diuinæ charitatis æſtu efferueamus, ita cęleſti corripiamur incendio, vt cæteris omnibus pręferuidas lateri faces admoueamus, quibus nos ponè ſequantur ad cœlum.

Foris. All'Illuſtre, e Molto Reuerendo Monſignor come fratello il Veſcouo di Nardò.

Intus verò.

ILluſtre, e Molto Reuerendo Monſignor come fratello. Riferita in Sagra Congregatione l'iſtanza ſotto nome degl'Arcipreti di coteſta Dioceſi, che ſi doleuano d'alcuni Decreti, e Conſtitutioni fatte da V.S. nell'vltima Sinodo; queſti Eminentiſſimi miei Signori, à' quali è nota l'attentione, e zelo di lei, mi hanno comandato di ſcriuerli che faccia oſſeruare gli accennati Decreti, & Ordinationi Sinodali. Glielo ſignifico, & il Signor Iddio la proſperi. Roma 6. Decembre 1680.

Di V.S. Come fratello

Gaſparo Cardinal di Carpegna.

L'Arciueſcouo di Genoua Segret.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

PErlegi, Excellentiæ Tuæ nutu, Conſtitutiones, ac Decreta Synodi Diœceſis Neritonen. ibique reperi nihil, quod Catholici noſtri Regis iuriſdictioni aduerſetur. Quapropter, typis demandari poſſe, reor; ſi ita viſum fuerit Excellentiæ Tuæ, cui meum hoc iudicium, meque ipſum ſubmitto. Vale iv. Id. Auguſti MDCLXXXI.

Excellentiæ Tuæ

Seruus Deditiſſimus

D. Carolus Petra Reg. Conſil.

Viſa retroſcripta relatione Imprimatur, & in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

Carrillus Reg. Calà Reg. Soria Reg. Thorellus Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 27. Auguſti 1681.

Maſtellonus.

Reuerendiſſime Domine.

Diœceſanam hanc Synodum Neritonenſem; eam, quam Illuſtriſſimus Auctor apprimè colit, religionem, eoſque ſpirantem feruidæ Charitatis igniculos, ac doctrinam, quæ vigilantiſſimum quemque Paſtorem, ac inſtituendi gregis ſollicitum, decent, atque commendant; vidi, legi, probaui; nihil enim, quod Fidei non conſonet; nihil, quod non ſacros redoleat Canones, inueni: imò omnia parata nauiter ad pietatem in omnium animis ſedulò excitandam. Quare typis, ac luce digniſſimam exiſtimo, vt exactam hanc normam habeant, perditi ſe ad meliorem reuocandi frugem, virtutis iter vrgendi sanctè, & cum virtute viuentes, omnes verò ad faſtigatiſſimum perfectionis apicem contendendi. Datum Lupijs in Collegio Societatis Ieſu 20. Aprilis 1681.

Dominationis Tuæ Reuerendiſſimæ

Addictiſſimus Famulus
Petrus Iacobus Michieli eiuſdem Societatis.

Imprimatur.

Canonicus Alexander Fidelis Vicarius Generalis Lycien.

CONSTITVTIONES ET DECRETA

PRIMÆ DIOECESANÆ SYNODI
Celebrata ab Illuſtriſſimo,& Reuerendiſs. Domino
HORATIO FORTVNATO
Epiſcopo Neritonēn in eius Cathedrali Eccleſia
die 11. menſis Iunij feria tertia poſt Dominicam
Paſchatis Pentecoſtes, & ſequentibus diebus
Anni 1680.

NOS HORATIVS FORTVNATVS Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Neritonen̄, & iam Epiſcopus Sancti Seueri ad Dei Omnipotentis, Beatæque Mariæ ſemper Virginis, & ab omni Labe Immaculatæ honorem, & laudem, hæc pro Chriſtianæ Morum diſciplinæ conformatione, qua Clerum, Populumque Noſtræ Curiæ concreditum prælucere in Domino expetimus in Noſtra hac prima Synodo Diœceſana decernimus, ſtatuimus, atque ſancimus.

TITVLI, ET DECRETA SYNODALIA.

DE FIDE CACHOLICA.

TITVLVS PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

FIDES, quæ eſt rerum ſperandarum ſubſtantia, ac noſtræ æternæ ſalutis præcipuum fundamētum, nō ſolùm corde, vt firmiter tenenda, ſed etiam

verbis, & operibus profitenda eſt: Ideoque mandamus omnibus prouiſis de Beneficijs, quibuſcumque curam Animarum habentibus, vt ad minus infra duos menſes poſt profeſſionem adeptam in manibus noſtris, vel Vicarij noſtri Generalis Orthodoxæ Fidei profeſſionem emittant. Qui verò Canonicatus, aut Dignitates in Eccleſia noſtra obtinebunt non ſolùm coram Nobis, ſed etiam in Capitulo id facere teneantur, aliàs iuxta Sac. Conc. Trid. præſcriptum fructus ſuos non facient.

Ad quam pariter fidei profeſſionem teneantur omnes tàm Sacerdotes, quàm Clerici, qui in hanc Diœceſanam Synodum conuenerint, antequam Synodus ipſa abſoluatur. Item Aduocati, Procuratores in Noſtro Tribunali patrocinantes cæterique eiuſdem Officiales.

Item Concionatores, necnon Sacerdotes ad curam, & Confeſſiones Monialium electi, & denique Ludi Magiſtri, & Medici eandem fidei profeſſionem emittant.

CAPVT SECVNDVM.

EX Sacrorum Conciliorum, & Litterarum Apoſtolicarum præſcripto, mandamus tàm Clericis, quàm Laicis quibuscumque, vt ſi quos in Noſtra Ciuitate, & Diœceſi Heriticos, Sortilegos, Magos, Incantatóres, aut quouis de hæreſi ſuſpectos, vel tandem Libros Authoritate Apoſtolica prohibitos legentes, aut retinentes, nouerint, Nobis, vel Vicario noſtro quam primùm ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, denuncient.

CA-

CAPVT TERTIVM.

CVrent Parochi, & exactiſſimè inuigilent, ne Cingari Chiromantijs, alijſque vetitis ſuperſtitioſis artibus fideles ſimplices decipiant. Prætere an ijdem Cingari Catholicæ Religionis ſigna demonſtrent; An in Paſchate Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, & alijs temporibus alia Sacramenta recipiant, Eccleſiaſticiſque præceptis obtemperent, & ſi culpabiles illos compererint, ad Nos referant.

CAPVT QVARTVM.

DOmini Temporales, ac eorum Miniſtri, & Officiales in cauſis fidei ne ſe immiſceant, ſed tantùm requiſiti Curiæ Noſtræ auxilium exhibeāt, & renuentes id facere, vel aliquatenus noſtros Officiales impedientes excommunicatione contenta in Conſtitutione Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit, Vt Inquiſitio, nouerint ſe eſſe innodatos. Cap. vt Inquiſitio de hæret. in 6.

TITVLVS SECVNDVS.

De Examinatoribus, Iudicibus, & Teſtibus Synodalibus, necnon Conſultoribus Sancti Officij.

IN Examinatores Synodales vſque in aliam Synodum duraturos cum facultatibus à Sac. Concil. Trid. expreſſis, & iniuncto eis Iuramento de ſe bene gerendo, deputamus infraſcriptos nempe.

Reuerendum Abbatem Carolum Antonium de Marra V. I. D. Archidiaconum.
Reuerendum Abbatem Hieronymum de Falconibus Præpoſitum.
Reuerendum Abbatem Ioſephum Arachium V. I. D. Archipresbyterum.
Reuerendum Abbatem Donatum Antonium Tollemeto Sac. Theol. & V. I. D. Primicerium.
Reuerendum Abbatem Ioſephum Zuccaro Canonicum.
Reuerendum Abbatem Auguſtinum Vernaleonũ V. I. D. Canonicum.
Reuerendum Abbatẽ Federicum Collucci V. I. D. Canonicum Pęnitentiarium.
Reuerendum D. Ioſephum Gala Sac. Theol. Doc. Archipresbyterum Terræ Galatone.
Reuerendum D. Ioſephum Marcucci V. I. D. Archipresbyterum Terræ Parabitæ.
Reuerendum Abbatem D. Franciſcum Antonium de Blaſijs V. I. D. Archipresbyterum Terræ Matini.
Reuerendum Patrem Fratrem Eliam Caloiro Ordinis Carmelitarum Sac. Theol. Magiſtrum.
Reuerendum Patrem Fratrem Andream Monticchio Ordinis Conuentualium S. Franciſci Sac. Theol. Magiſtrum.
Reuerendum Patrem Fratrem Reginaldum Gattini Lectorem Ordinis Prædicatorum.
Reuerendum Patrem Fratrem Thomam Manudoro Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula.
In Iudices Synodales, quibus Cauſæ à Sede Apoſtolica, vel eius delegatis iuxta Apoſtolicas conſtitutiones validè committi poſſunt, & à Regularibus

ribus in ſuos Conſeruatores, ſi velint, eligi poſſunt, deputamus infraſcriptos videlicet.

Reuerendum Abbatem Carolum Antonium de Marra V. I. D. Archidiaconum.

Reuerendum Abbatem Auguſtinum Verualeonũ V. I. D. Canonicum.

Reuerendum Abbatẽ Federicum Collucci V. I. D. Canonicum Pœnitentiarium.

Clericum Iulium Cæſarem Carignano V. I. D.

In Conſultores pro Cauſis Sancti Officij.

Reuerendum Abbatem Carolum Antonium de Marra V. I. D. Archidiaconum.

Reuerendum Abbatem Donatum Antonium Tollemeto Sac. Theol. & V. I. D. Primicerium.

Reuerendum Abbatem Auguſtinum Vernaleonũ V. I. D. Canonicum.

Reuerendum Patrem Fratrem Eliam Caloiro Sac. Theol. Magiſtrum Carmelitarum.

Teſtes Synodales cum iniunctione Iuramenti, qui munus ſuum fideliter exequentur, ob iuſtas cauſas in Noſtro Palatio ſecretò nominabimus. Teſtes verò Synodales, qui à Canoniſtis Viſitatores, & Inquiſitores vocantur, tenentur ſedulò, & ſollicitò inueſtigare de vitijs Populi; ac etiam ſi omnia Decreta, quæ in Synodo præſcribuntur, debitæ exequutioni demandentur, & denique de Vita, & Moribus Eccleſiaſticorum, ac de ſeruitio Eccleſiæ, de quibus omnibus tenentur de plano inueſtigare interrogando Seniores, & honeſtiores de Populo, & quæ correctione, vel reformatione ſunt digna ad Epiſcopum perferant, vt quæ viderit in Domino expedire, decernat.

cernat. Cap. ſicut olim de accuſat. Cap. Epiſcopus in Syn. 35. qu. 6.

TITVLVS TERTIVS.

De Doctrina Christiana.

CAPVT PRIMVM.

CVM omnibus fidelibus maximè ſit neceſſariũ Chriſtianæ fidei rudimenta ſcire, vt in fidei fundamentis firmi ſint, ac ſtabiles; propterea in Sancta Viſitatione per Nos iam anno elapſo abſoluta, ſummoperè curauimus, vt omnes Chriſti fideles in fidei initijs erudirentur, deputando tàm in Ciuitate, quàm in Diœceſi vltra Parochos aliós nonnullos Sacerdotes, vt ſinguli in præfinitis ſibi Eccleſijs Doctrinam Chriſtianam omnibus diebus feſtiuis illos edocerent. Sed cùm parùm Nos huc vſque ſolis admonitionibus profeciſſe aduerterimus; Ideò omnibus, & ſingulis Parochis, cæteriſque Confeſſarijs ſiuè Secularibus, ſiuè Regularibus præcipimus, vt antequam confeſſiones excipiant Pęnitentium, faciant ab ipſis quatuor fidei elementa videlicet, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & decem Decalogi præcepta, recitari.

CAPVT SECVNDVM.

ET ſi prædictorum fidei Initiorum Pœnitentes ignaros, rudeſque oſtenderint, hanc eorum ſpiritualem ſocordiam reprehendant, oſtendantque

que quam grauis eſſe debeat illorum conſcientiæ ignoratio rerum, quæ ad ſalutem tantoperè ſunt neceſſaria: Cum autem eos abſoluunt, præter alias pęnitentias, hanc etiam imponant, vt dicta quatuor elementa certo tempore definito ediſcant; eo autem temporis ſpatio peracto, ſi eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc abſolutionem ad aliquot dies, iuxta eorumdem Confeſſariorum prudentiã, ſuſpendant: Si verò ſemel, & iterum ita admiſſi ad Pęnitentiæ Sacramentum eos poſtea adhuc in rudi iſta, craſſaque ignorantia perſiſtere comperiantur, tunc antequam denuò ad Sacramentum admittantur, de ijs Epiſcopo denuncient, qui illorum ſaluti diligentiùs, & efficaciùs conſulat, vt viderit, in Domino expedire.

CAPVT TERTIVM.

INhærendo Decreto in ſexta Synodo emanato ab Illuſtriſſimo Hieronymo de Franchis Epiſcopo, omnibus Diaconis, Subdiaconis, & Clericis ſtrictè præcipimus, vt in explicatione Doctrinę Chriſtianæ, ac in Proceſſione ad ſonum campanæ pro Pueris, alijſuè fidelibus conuocandis facienda, omninò conueniant, atque interueniant. Contumaces verò præter alias pœnas arbitrio infligendas, nec ad alios ordines, nec ad beneficia ſciant fore promouendos.

CAPVT QVARTVM.

PArochi verò ſub pęna ſuſpenſionis ad dies decem per ſe ipſos Doctrinam Chriſtianam doceant,

ceant, niſi fuerint legitimè impediti: Præcipuum enim eorum officium eſt prædicare, & plebes ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſcere, & quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem docere: Si autem contingerit ipſos legitimo detineri impedimẽto; ad huiuſmodi officium rectè exequendum aſſumere teneantur eos Sacerdotes, qui a Nobis idonei ad hoc munus ſalubriter explendum in Sancta Viſitatione, fuerunt approbati.

Trident. ſeſſ. 5. c. 2.

Confeſſarij autem grauiſſimam pęnitentiam imponant; Itemque Concionatores Diuinam vltionem Patribus familias, & Dominis denuncient, qui nulla, aut ſaltem parua diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt vt ſui Liberi, ac famuli Chriſtianam Doctrinam addiſcant.

CAPVT QVINTVM.

AD fideles vehementiùs excitandos ad ſtudiũ Doctrinæ Chriſtianæ, promulgent Parochi in ſingulis tertijs Dominicis inter Miſſarum ſolemnia Indulgentias, quæ à Beato Pio V. & Paulo V. Pontificibus, ſodalibus Doctrinæ Chriſtianæ conceſſæ ſunt: Ita enim maiorem in dies, concurſum, ad hanc ſalubrem Doctrinam futurum eſſe ſperamus.

CAPVT SEXTVM.

PArochi ſub pęna ſuſpenſionis latæ ſententiæ non coniungant in Matrimonium rudes initiorum fidei, abſque noſtra expreſſa licentia, & denique ſatagant, vt Sacerdotes deputati in ſcholis Doctrinę Chriſtianę à Nobis inſtitutis, opere compleant,

pleant, quod eis iniunctum eſt tàm in Sancta Viſitatione, quàm per Edictum in tota Diœceſi publicatum, quod vt omninò obſeruetur, hic in appendice tranſcribere duximus.

TITVLVS QVARTVS.

De Ludi Magiſtris.

CAPVT PRIMVM.

CVM Sanctiſſimè à Pio IV. conſtitutum fuerit, neminem ad docendi officium admittendum eſſe, niſi prius ab Epiſcopo Loci in vita, moribus, & ſcientia probatus fuerit; Nam timor Domini, quod Sapientiæ eſt initium ex Adoleſcentium prima inſtitutione pendet, & quas virtutes, vel quæ vitia pueri cum lacte imbiberint, ea vt plurimum ſemper retinebunt; Propterea ſancimus, nè vllus Ludi Magiſter in noſtra Ciuitate, & Diœceſi abſque noſtra licentia, & fidei profeſſione emiſſa, admittatur.

CAPVT SECVNDVM.

LVdi Magiſtri vt ſupra admiſſi non ſolùm pueros in Grammatica, cęteriſuè litteris humanis erudire, & inſtruere debeant, verumetiam initia fidei, aliaque ad Religionem pertinentia bis in hebdomada docere teneantur, in diebus verò feſtiuis accedant ad Eccleſiam pro docendo, vnà cum Curatis, pueros Doctrinam Chriſtianam. Curent etiam, vt diebus feſtiuis Miſſam audiant, & quàm maximè poſſunt hortentur, vt ſingulis etiam diebus ferialibus ipſam auſcultent.

CAPVT TERTIVM.

ILlud etiam à Ludi Magiſtris ſummoperè curandum erit, vt Pueri ſemel ſaltem in menſe peccata ſua certo Confeſſario aperiant, & in qualibet ſchola poſita ſit aliqua Sacra Imago, ad quam Pueri in ſtudijs inchoandis Litanias Deiparæ Virginis, aut alias pias preces, ad Diuinam opem implorandam, recitent.

Parochi perſæpè scholas Puerorum viſitent, vt omnia ſupradicta ad timorem Dei inſerendum ſpectantia, per Magiſtros exequutioni mandentur.

TITVLVS QVINTVS.

De Diuinis Officijs.

CAPVT PRIMVM.

IN Viſitatione à Nobis peracta decreuimus, vt omnes Canonici in diebus Dominicis, & feſtis de præcepto Diuino Officio intereſſent, Laudes canerent, prout & Veſperas; Contumaces verò mulctentur prout de more, & in ſubſidium per cenſuras Eccleſiaſticas compellentur; Hoc Decretum hac noſtra ſemper valitura Conſtitutione confirmamus, & inconcuſsè obſeruari per Sanctam obediētiam pręcipimus. Conſuetudinem quoad reliquos dies per tertiariam hebdomadam Choro intereſſendi, vtpotè Sac. Concil. Trid. contrariam minimè approbamus; ſed tantùm illam tolerari iuſſimus, donec ab Eminentiſſimis Patribus eiuſdem Sac. Conc. Interpretibus aliàs fuerint diffinitum.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

EPiſcopus dum Veſperas, & Miſſas ſolemniter celebrat omnes tàm in Sacris, quàm in Minoribus conſtituti in Eccleſia conueniant ſub pœna vnius libræ ceræ albæ elaboratæ pro quolibet contumace,& qualibet vice irremiſibiliter exigenda.

CAPVT TERTIVM.

IN Collegiatis Eccleſijs quotidie horæ Canonicæ per tertiariam hebdomadam perſoluantur, ſublata conſuetudine inſeruiendi per quartariam hebdomadam,& illam non approbamus,ſed prout in Cathedrali toleramus. In diebus Dominicis,& feſtis de præcepto Laudes, & Veſperæ decantentur. In Parochialibus verò,in quibus conuentualiter inſeruitur, Diuinum Officium conuentualiter in Choro perſoluatur. Abſentibus in diſtributionum parte mulctatis.

CAPVT QVARTVM.

OMnes igitur ad prædictas horas Canonicas conueniant, ita vt excuſationis digni non ſint, etiam ſi in Eccleſia celebrabunt. Excipiuntur tamen Pœnitentiarius, ac Parochi dum actu in Eccleſia Sacramenta adminiſtrant, ac etiam illi, quibus à Nobis, vel Chori Præfecto iniungitur, vt in illa hora pro Populi commoditate celebrent, aut Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrent.

CAPVT QVINTVM.

PVlſato ſigno Campanæ, hora ſolita iam aliâs præſcripta, omnes Canonici ad Eccleſiã conueniant, & poſtquam Corpus Domini piè, & deuotè adorauerint, in Sacriſtiam ſeſe recipiant, in qua per quadrantem ad horologium pulueris omninò cum ſilentio ſiſtant, vt optima opportunitate omnes inibi conuenire valeant, quo quadrante elapſo inde ordine egrediantur, & bini, ac graui, modeſtoque inceſſu ad Chorum procedant; vbi poſtquam ſeipſos inuicem ſalutauerint, ſuam quiſque adeat ſedem, pauliſper orent, & intonato per hebdomadarium Pater noſter, ad initium Officij, omnes aſſurgant. Diuinis autem Officijs abſolutis eodem ordine ad Sacriſtiam reuertãtur, quò ad Chorum acceſſerunt.

CAPVT SEXTVM.

SCiant omnes non voce tantùm, & lingua, ſed mente, & corde pſallendum eſſe; in vanum enim laborat lingua, ſi cor non orat; Ideoque dum Choro verſantur pro temporis, & Officij ratione, ſtent, ſedeant, caput aperiant, genuflectant, & ſemper in verſiculo: Gloria Patri, &c. caput inclinent: Colloquutiones, riſus, errantium deriſiones, mutationes locorum, clamores, lectionem litterarum, vel librorum, incompoſitum corporis habitum, geſtumuè indecentem omninò deuitent: Et denique nemo flores, chirothecas, aut alia id genus leuitatem, vanitatemque præſeferentia geſtet, neque per Chorum, aut aliorum ſubſellia vagetur: Et qui in

præ-

prædictis defecerit, pœnis abſentiæ, alijſue arbitrio noſtro punietur.

CAPVT SEPTIMVM.

NEmo ſubmiſſa voce priuatim horas recitet, etiam ſi cępto officio ſuperuenerit,& qui cõtrarium fecerit, ſciat fructus ſuos non facere. A Choro nemo diſcedat, niſi prius petita licentia à Chori Præfecto, quæ ſemper,abſque legitima cauſa, denegetur. Præſidentes in Choro intelligantur Archidiaconus in Cathedrali, in Collegiatis verò,& Parochialibus Archipresbyteri,eiſque abſentibus ſequentes in ordine eorum, qui præſentes erunt.

CAPVT OCTAVVM.

OMnes per ſe, & non per Subſtitutos Diuina Officia obeant, quacumque conſuetudine in contrarium minimè ſuffragante: Decretum autem in Synodo Epiſcopi Fabij Fornarij editum,quo ſeruitium aliquando per ſubſtitutum iuxta de cauſa toleratur,per tres, aut quatuor vices in anno intelligi declaramus.

CAPVT NONVM.

VT omnia, quæ pro ſeruitio, & recto regimine Chori præſcripta ſunt, adamuſſim obſeruentur,præcipimus, vt ea deſcribantur, & adnotentur in Tabella,quę affixa pendeat in Sacriſtia,quę Decreta legantur ſaltem ſemel in menſe in pleno Capitulo, per Admodum Reuerẽdum Archidiaconũ, qui, vt ea obſeruentur,ſedulò incumbat.

De Diſtributionibus quotidianis, & Punctatoribus.

CAPVT PRIMVM.

PRohibemus iuxta præſcriptum Sacr. Concil. Trid. ne quis verè abſens donatione, colluſione, vel quacumque remiſſione, ad diſtributiones quotidianas admittatur, ſub pęna dupli à toto Capitulo perſoluenda, ſi capitulariter fuerit facta remiſſio; ſi verò aliqui tantùm de Capitulo exceſſerint, ipſi delinquentes tantumdem de ſuis diſtributionibus amittant.

Excuſantur abſentes ob euidens ſeruitium Eccleſiæ, quod à Capitulo probatum ſit tanquam neceſſarium, & à Nobis confirmatum, ſi cauſa ſit noua. Item infirmi, necnon, qui noſtro, vel Chori Præfecti mandato, vel ex officio confeſſiones audient, aut alia Sacramenta in Eccleſia miniſtrabunt tempore Diuinorum Officiorum. Item Archipresbyter occupatus in cura Animarum, tàm in Eccleſia, quàm extrà. Item ij, qui cantant Miſſas capitulares ſuis horis, non autem ſi celebrent ex deuotione, niſi fortè aliqua neceſſitas id expoſtulet; idque non niſi conſenſu Chori Præfecti. Item Canonici miſſi Romam pro viſitatione Liminum, aut Epiſcopum in Sancta Viſitatione comitantes.

Pęnitentiarius pariter poteſt abeſſe à Choro; & lucrari diſtributiones, dum aſſiſtit perſonaliter Cōfeſſionario, & actu Confeſſiones audit in Eccleſia; & demùm qui ad canendum in Organo à Cappellæ Præfecto vocantur.

CAPVT SECVNDVM.

IN Noſtra Cathedrali Eccleſia, & alijs Collegiatis ſingulis quibuſque annis, prout huc vſque factum eſt, conſtituatur Punctator, qui antequam Officium aggrediatur, coram Nobis, vel Noſtro Vicario, aut toto Capitulo Iuramentum præſtet de eius munere benè, & fideliter exercendo ad formã in calce huius tituli præſcriptam; librum ſuum ordinarium punctationum penès ſe habeat, & diligẽter cuſtodiat, in quo ſine vlla perſonarum acceptione ſingulorum abſentiam certis pũctationibus diſtinctè notet: Curet autem publicè in ipſo Choro, vel coram digniore perſona, ad tollendas ſuſpiciones, contumacias adnotare.

CAPVT TERTIVM.

NVllus Canonicus, aut alius quicumque in Dignitate conſtitutus ſub pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ munus punctandi, aut punctationes delendi propria authoritate ſibi aſſumere audeat: Punctator autem ſub eadem pęna abſẽtiam deſcribere, & deſcriptam delere minimè præſumat, niſi adſcribendam, aut delendam, verè, & legitimè eſſe iudicauerit.

CAPVT QVARTVM.

NOtanda verò non ſolùm erit abſentia eorum, qui in Choro intereſſe debent, ſed etiam errata, quæ abſentiæ æquiualent. Ea verò ſunt huiuſmodi, libros, litteras, aliaſque ſcripturas, à Diuini

Offi-

Officij recitatione alienas, legere. Item, omnes illos, qui dum cantatur Miſſa, Horas, vel aliam partem Diuini Officij recitant: Item, omnes illos, qui feſtinanter, syncopatim, & non cum debita pauſa, nec cum alijs Officium recitant, ſeù canunt; & demum eos, qui extra ſuum proprium ſubſellium, ſeù ſtallum ſedent, aut manent; Omnes enim iſtos, qui hæc admiſerint, volumus eius horæ, aut Miſſæ diſtributiones ammittere, ac ſi illis minimè interfuiſſent.

CAPVT QVINTVM.

PLuries mandatum eſt, vt Canonici hebdomadarij, dum ſunt in Choro, nullius, etiam Sacerdotis Confeſſionem audiant, ne ſic pſallentium numerus minuatur; hoc præceptum denuò, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione confirmamus, & innouamus. Addentes ne pro Confeſſione audienda exeant è Choro, vt plerique in fraudem præcepti facere ſolent. Controuenientes verò diſtributiones illius horæ amittant, & vt abſentes punctentur.

TAVOLA DEGLI ERRORI, CHE SI HANNO da notare, correggere, e puntare nel Choro per opera de' Prefetti, e Puntatori.

OLtre gli Aſſenti dal Choro ſi hanno da puntare come contumaci, è multare come ſe fuſſero aſſenti tutti quelli, che non veſtiranno la ſottana talare, e cotta monda, e decente.

Chi hà calzette d'altro colore, che negro, od oſcuro;

oſcuro. Si tolera però la calzetta di filo bianco, maſſimamente quando è coperta dalla ſottana.

Chi dice l'Officio priuatamente, ò con ſommeſſa voce.

Chi non tiene l'Almutia alla ſpalla, ò nel braccio ſecondo che preſcriue il Ceremoniale.

Chi legge libri, lettere, ò altre ſcritture fuori di quelle, che ſono neceſſarie per la qualità dell'officio, che ſi celebra.

Chi dorme in Choro, ſe auuertito dal Prefetto ritornarà à dormire.

Chi ride, ò parla con chi ſi ſia, (eccetto che per ragion dell'officio ſuo, ò per riſpoſta neceſſaria in cauſa vrgente) quando corretto non ſi emenda.

Chi vaga da vn ſtallo all'altro, eccetto, che per fare l'officio ſuo, ò per cedere il luogo al maggiore.

Chi auiſato dal Maſtro di Cerimonie à fare le cerimonie conuenienti, egli non obediſce, ò le diſprezza.

Chi dalla parte ſua non canta inſieme con gli altri, purche non ſia impedito da qualche infermità.

Chi tiene li guanti alle mani, roſe, ò altri fiori.

Chi partirà dal Choro, prima che ſiano finiti gli Officij, eccetto ſe foſſe per cauſa neceſſaria, e con licenza del Prefetto.

Chi finiti gli Officij partirà non accompagnandoſi con gli altri à due, à due per ordine ſin dentro la Sacriſtia, e così parimente quelli, che col medeſimo ordine non andaranno dalla Sacriſtia al Choro.

Chi non ſtarà in piedi mentre ſi leggerà il Paſſio, e chi non ſtarà inginocchioni, mentre ſi cantano le Litanie.

Chi ricuſa obedire al Prefetto, ò Maſtro di Cerimonie nelle coſe pertinenti à quell'Offio.

FORMVLA IVRAMENTI *à Punctatore praſtandi.*

EGO N. N. Punctatoris Officium, quod ſuſcepi, promitto, ſpondeo, ac Iuro me fideliter, & ſincerè, quantum in me erit, exequuturum, & muneri meo, nec indulgentia, nec odio, nec amore, nec ſpe, nec metu, nec vlla alia de cauſa defuturum. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

TITVLVS SEPTIMVS.

De Celebratione Miſſarum.

CAPVT PRIMVM.

Seſſ. 22. de Sac. Miſſ.

QVanta curà (ait Sac. Conc. Trid.) adhibenda ſit, vt Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium omne religionis cultu, ac veneratione celebretur, quiuis facilè exiſtimare poterit, qui cogitarit, maledictum in Sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter: Ideoque omnes, & ſingulos Sacerdotes in Domino hortamur, vt tantum tremendum Sacrificium non quaſi ex conſuetudine (prout à quam pluribus in hac miſera tempeſtate fieri ſolet) ſed maxima puritate, magnaque cum attentione, & deuotione, ſedatè, & tranquillè celebretur; vt Spiritualem, ac Diuinam rem agi omnes cognoſcant.

CAPVT SECVNDVM.

VT ergo, eò puriores ad hanc Diuinam rem faciendam accedant, bis ſaltem in hebdomada peccata ſua confiteantur, niſi eos ob mortalis peccati culpam frequentiùs id facere oportuerit; & antequam celebrent, ſe colligant, & ſaltem per mediam horam orantes, mentem in tanti Miniſterij cogitatione defigant; ac à tabbacchi ſumptione, ſiuè per os, ſiuè per nares ſub pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ per illam diem ante celebrationem, per integram horam omninò ſe abſtineant.

CAPVT TERTIVM.

PER Sanctam Obedientiam omnibus præcipimus, vt antequam ad Altare accedant, Miſſam perlegant, & ſingulas partes ita præparatas, & notatas per ſignacula habeant, vt celebrantes neque errent, neque hęſitent. Ad Altare nequaquam accedant, quin priùs ibi ad Sacrificium neceſſaria parata ſint omnia.

CAPVT QVARTVM.

IN vnaquaque Eccleſia ſit Liber, in quo quilibet Sacerdos (Anno, menſe, & die priùs notato) Miſſam, quam quouis obligationis nomine in illa Eccleſia celebrauerit, eodem quo celebrauerit die, proprio caractere adnotare teneatur, ac de ipſa ſatisfactione vnuſquiſque Cappellanus coram Admodum Reuerendo D. Præpoſito noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, & in Diœceſi coram Reuerendo Vicario Foraneo tertio quoque menſe, iuxta præ-

ſcriptum Sac. Cong. rationem reddat. Qui verò falsò onera Miſſarum, aut Anniuerſariorum adnotauerit vtpotè adimpleta, dum reuerà non adimpleuerit ipſo facto ſit ſuſpenſus: & qui adimpleta in Libro non deſcripſerit, illum non ſatisfeciſſe (etiam ſi Iuramento ſatisfactionem perhibuerit) in pęnam diſtrictè decernimus.

CAPVT QVINTVM.

VT Miſſarum, & Anniuerſariorum onera adimpleantur, & implementum facilè Nobis innoteſcat, ijs omnibus Cappellanis, quibus à Teſtatore, in beneficiorum fundatione nulla pro Miſſis celebrandis deputata fuit Eccleſia, vel Altare diſtrictè per Sanctam obedientiam præcipimus, vt pro ipſa celebratione *C* Eccleſiam propriam ſibi præſcribant, ac illam infra menſem poſt huius noſtræ Conſtitutionis publicationem Nobis pateſaciant.

Sic ſimiliter ij Cappellani, qui certam habent à Teſtatore Cappellam ſibi præſcriptam, incertis tamen diebus Miſſæ in illa *D* celebrandæ munus habent impoſitum, dies certos ſibi præſcribant, quibus in ea Eccleſia Miſſam celebrent, vt ſingulis ſi fieri poteſt hebdomadis, vel menſibus Miſſarum celebrationes rectè, atque ordine diſtributę peragantur.

ANNOTATIONES.

C *Sac. Cong Epiſcoporum 17. Ian. 1594. apud Gau. in Manuali Epiſcoporum verbo Miſſa, nu. 24.*

D *Acta Med. Eccl. par. 1. Conc. Prouinc. 4. fol. mihi 149. col. 1. verſ. quod ſi alij.*

CAPVT SEXTVM.

IN eodem die, & Altare vnicuique à Teſtatore in Limine fundationis Cappellaniæ, vel à Nobis in Sancta Viſitatione præſcripto, aut aliàs præſcribendo omninò Miſſarum onera adimpleantur; alioquin *E* in pęnam, vt non adimpleta haberi decernimus: Et ad omnem auaritiam, ac ſorditatem in tanto munere à Sacerdotibus eliminandam, omnibus diſtrictè præcipimus, vt quotidianas, & manuales eleemoſynas pro Miſſis celebrandis nullo modo ſuſcipiant, niſi oneribus antea ſuſceptis, ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant. & qui contrarium fecerit, ſciat ab ingreſſu Eccleſiæ, ex Decreto Vrbani Papæ VIII. quod incipit: Cum ſæpè contigat, ipſofacto eſſe interdictū.

Qui verò Miſſam *F* ex obligatione beneficij dicendam in diebus præſcriptis omiſerit, ſiuè is beneficium obtineat, ſiuè ſit Mercenarius, vltra Diuinam vltionem, diebus quidem feſtis pœnam luat libræ vnius ceræ albæ elaboratæ, in ferialibus autem dimidiam. Si autem non adſit, qui Miſſam Conuentualem celebrare tenetur, ſequens in ordine ſuppleat, & lucretur carolenos tres, pro pœna ab eo, cui id muneris erat perſoluendum.

ALLEGATIONES.

E Cappellanus ità diſtrictè tenetur obſeruare, & adimplere voluntatem Fundatoris, vt ſi in alio Altari, vel Sacello, aut die, quàm in præſcripto ab ipſo Fundatore celebrauerit ſuo oneri non ſatisfaciat, & ad aliqualem reſtitutionem teneatur, iuxtà opinionem *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap.*

cap. 11. *nu.* 22. & aliorum, ſed quidquid ſit de reſtitutione. Eſt communis opinio, quod mortaliter peccet Cappellanus ſi Miſſam poſticipatè, vel alibi quàm in Sacello, aut Altari in fundatione præſcripto celebrauerit; quia non præſtat fideliter id, ad quod fuit electus, nec Teſtatoris voluntatem adimplet, quam omninò adimplere tenetur *Syluestr. in verb. Miſſa* 1. *qu.* 10. *Fagund. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. *nu.* 6. *Ricc. in prax. for. Eccl. deciſ.* 405. *& alij apud Barb. de poteſt. Epiſc. alleg.* 24. *num.* 33. Excuſaretur tamen à culpa graui ſi ter, aut quater in annò in deſtinato Sacello non celebrauerit ait *Dian. in ſumm. verb. Miſſarum ſtipendium nu.* 16. Minimè verò excuſaretur, etiam pro vna vice, ſi in Altari priuilegiato Miſſam teneretur celebrare, & alibi celebrauerit, vt declaratum refert idem *Dian. à Sac. Congr. Rituum in vna Tolet.* 13. *Iulij.* 1601.

Ex deductis itaque dignoſcitur, qualem ruinam ſibi parant Sacerdotes Miſſas in deſtinato die, & Sacello nō celebrātes; & quod peius eſt hāc perniciem non agnoſcunt, & noſtræ increpationes, ordinationes, ac cura, quibus Cappellanos ad eorum munus oppoſitè obeumdum monere, & hortari satagimus, nihil proficiunt; quinimò aerem verberant; Nam quoties ab eis rationem exigimus, toties eos contumaces in celebratione experimur, & ita Iram Dei ſibi theſaurizantes ad interitum, & æternos cruciatos feſtinant.

F Epiſcopus poteſt imponere pœnam vt Miſſæ in die, & Eccleſia præſcripta celebrentur, ad euitandas fraudes eorum, qui ſordida quadam lucri cupiditate, nempè ob pinguiorem eleemo-

ſynam

ſynam onera ſibi iniuncta poſtponunt, & aliò ad ſacrum faciendum ſe conferunt. *Azor. Inſt. mor. lib. part. 1. qu. 9. cap. 24.*

CAPVT SEPTIMVM.

NVllus Sacerdos alienigena, & vagus ad Sacrum faciendum etiam in Eccleſijs Regularium abſque licentia à Nobis, aut à Noſtro Vicario in ſcriptis obtenta, admittatur, quam nemini concedendam eſſe ſancimus, niſi litteras commendaticias ſui Ordinarij produxerit; & niſi priùs à Magiſtro Cæremoniarum noſtræ Cathedralis Eccleſiæ fuerit examinatus, & approbatus. In Eccleſijs verò Monialium etiam Ciues Sacerdotes ſine noſtra licentia à ſacrificio peragendo repellantur.

CAPVT OCTAVVM.

DVM Epiſcopus in Miſſa ſolemni, ſiuè cum Cappa, ſiuè Pontificaliter aſſiſtit omnes Canonici ſiſtent in Præsbyterio, hebdomadarijs tantùm exceptis, qui remaneant in Choro ad canendum. Cum verò faciunt circulum ante Epiſcopum, vel dum tranſeunt ante Altare dimittant Almutias à ſcapula ad brachium, & ſi id poſt conſecrationem accidat, aut alio quouis modo Corpus Sanctiſſimi Domini Noſtri expoſitum fuerit vtroque genu humum tangant, & Dominum adorent.

***

De Sacroſanctis Eccleſijs, & Sancta Supellectili.

CAPVT PRIMVM.

NVnquam humani generis Saluatorem proprijs manibus iniuriarum ſibi illatarum fuiſſe vindicem legimus, niſi dùm ementes, & vendentes quaſi flagello de funiculis confecto, eiecit de Templo. Hinc faciè innoteſcit, quàm acribus in eos pœnis animaduertendum ſit, qui Eccleſiam Dei contemnentes ipſamque veluti latronum ſpeluncam authumantes, & ſordibus fætam, & omniũ oculis indecoram patiuntur. In Eccleſijs igitur omnibus Noſtræ Diœceſis, ſiuè Cappellis, aut Oratorijs etiam Regularium repræſentationes quamuis Spirituales, conuenticula, ſtrepitus, deambulationes, aut aliquid aliud opus prophanum ſub pœna Interdicti ipſiuſmet Eccleſiæ omninò prohibemus. Nullæ denique Choreæ, commeſſationes, merendæ, emptiones, venditiones, aliæque actiones, quæ Deum offendere poſſint, etiam in Eccleſijs Regularium ſub eadem pœna Interdicti, vllatenus habeantur, neque ad dormiendum in Eccleſijs aliquis excipiatur.

CAPVT SECVNDVM.

OMnia Sacella vel diruta, vel ruinam minantia, quæ in Sancta Viſitatione per Patronos, aut fidelium eleemoſynis reparari præcipimus, ſi hactenus ad decentem formam redacta nõ fuerint,

Parochis, in quorum ditione ſunt ſita, iniungimus, vt ea demoliri, & ſolo æquari omninò ſatagant; Eorum tamen materia ad prophanos vſus non cõuertatur. In poſterùm verò nullum Oratorium, aut Sacellum Nobis inconſultis, conſtruatur, ijs tamen dumtaxat permittetur, qui pio Religionis feruore ducti, conuenientem dotem conſtituerint, qua decenti ornatu poſſint conſeruari.

Conc. Triden. ſeſſ. 21. c. 7. Acta M. Eccleſ. Concil. Prou. 1. de Eccl. & earũ cultu. Ricc. in prax. reſ. 201.

CAPVT TERTIVM.

ORatoria item, in quibus celebratur, munda, nitidaque conſeruentur, nec in eis celebretur niſi Miſſa, aut Parochiali concione abſoluta, nec capſulæ eleemoſynarum ibi habeantur, niſi noſtra permittat authoritas.

CAPVT QVARTVM.

NE Eccleſiæ, quæ Sacris Myſterijs ſunt dicatę, iniquitatibus hominum pateant, præſertim tempore, quo peractis Diuinis Officijs nullus adeſt Clericus Cuſtos, præcipimus, vt fores Eccleſiæ ſtatim poſt Solis occaſum claudantur. Claues autem non ab alijs, præſertim à Laicis, niſi probatæ ſint vitæ, & multò minùs à Mulieribus, ſed à Rectoribus, aut à Clericis, ab ipſis deputatis cuſtodiri mandamus.

Sac. Cong. Ep. 5. Mart. j 1619 apud Gauantman. Ep. verb. Eccl. nu. 27. & 11. Sept. 1651 ap. Barb. de Iur. Eccl. lib. 1 cap. 11 nu. 28.

CAPVT QVINTVM.

FEneſtras, per quas ex priuatorum domibus in Eccleſiam proſpiciatur, omninò interdicimus, ſi quæ verò fuerint infrà menſem obſtruantur.

CAPVT SEXTVM.

DVM Sacra celebrantur, Clerici, qui in Eccleſia degunt, ſuperpelliceo ſemper ſint induti; per Eccleſiam, aut in eius veſtibulo, Atrio, vel foribus ne vagentur, ſed in Sacriſtiam ſe ſe recipiant, ibique ſilentium ſeruent, & eorum Rectori à Nobis deputato omnem obedientiam exhibeant; alioquin grauiter punientur; Laicis omnibus cuiuſuis gradus, qualitatis, & conditionis acceſſum in Sacriſtiam, & Chorum, dum Diuina perſoluuntur ſub pœna Excommunicationis interdicimus.

Item Mendici eleemoſynæ cauſa per Eccleſiam non vagentur, ſed extra fores conſiſtant, & ſi moniti non paruerint extra Eccleſiam expellantur.

Et denique omnia, quæ noſtro Edicto ſæpiùs publicato in Eccleſiæ, & Diuini cultus venerationem ſeruari iuſſimus, ſub eiſdem pęnis ibi contentis, nũc iubemus. Quæ omnia, vt ſuam trahant exequutionem, Parochis omnibus iniungimus, vt in ſingulis tertijs Dominicis idem Edictum publicet, ac in eo contenta ad vnguem à fidelibus obſeruari inuigilent, atque ſtudeant.

CAPVT SEPTIMVM.

SIcut Eccleſiaſtica Immunitas Dei præcepto, & Canonicis ſanctionibus conſtituta quàm diligentiſſimè cuſtodienda eſt, neque permittendum, vt Confugientibus ad Eccleſias, & loca ſacra aliqua vis contra Sacros Canones inferatur; ita ſummopere cauẽdũ, ne facinoroſi ad eas quaſi ad Aſylum in Sacrorum Conſtitutionum fraudem ſe recipiant.

piant. Diſtrictè igitur, & per Sanctam obedientiam omnibus Parochis, Rectoribus, Cappellanis, alijſque Eccleſiarum Prioribus præcipimus, vt quoties ab aliquo Exule, vel Criminoſo, qui in loco libero ſit, poſtulentur, vt illum in eorum Eccleſias, Cęmeteria, vel Domos recipiant, omninò antequam aſſentiantur, Nos, vel noſtrum Vicarium conſulant: Quod ſi ipſis minimè præmonitis, tales perſonæ criminoſæ ad huiuſmodi loca confugerint, quamprimum Nos certiores faciant, vt quidquid à Nobis decretum fuerit, ſeruent.

CAPVT OCTAVVM.

NE Sacræ veſtes, cæteraque Eccleſiæ ornamēta, ac reliqua Sacra ſupellex ſordibus, puluereque obſordeſcant, ſed quo ad eius fieri poteſt ab omni ſorde, & inquinamento pura omnia, & ſingula ſint, ac integra Inſtructionem ſuper nitore Sacræ ſupellectilis à Nobis in Sancta Viſitatione editam, & in calce harum Conſtitutionum manuſcriptam omninò ſeruari præcipimus.

In vnaquaque Eccleſia conficiatur Codex, in quo cuncta eius Ornamenta adnotentur; relicta copia Sacriſtis, à quibus ſingulis annis per Parochos, aut Theſaurarios ratio exigatur.

TITVLVS NONVS.

De Feſtorum, ac Sacri Ieiunij obſeruatione.

CAPVT PRIMVM.

QVia dies feſti in Eccleſia inſtituti fuerunt, vt fidelium animi non ſolùm ad redemptionis

noſtræ myſteria, atque Sanctorum victorias colendas, & imitandas excitentur; ſed etiam vt ad creationis initium, quando Deus die ſeptimo ab omni opere, quod fecerat, requieuit, animus reuocetur. Ideoque Sacris Canonibus, Concilijs, & Apoſtolicis Conſtitutionibus inhærendo diſtrictè mandamus, nè diebus Feſtis ſub quouis colore, & prætextu quis audeat vendere, emere, contractus inire, manualia opera exercere, villicas operationes agere, beſtias onuſtas, ac etiam exonuſtas ducere, & reducere, ſeruilia opera, mercatus, & nundinas facere, Collectas, vel Pedagia exigere, ſub pœna librarum decem ceræ albę elaboratę, & in ſubſidium excommunicationis.

CAPVT SECVNDVM.

SVb eadem pęna prohibemus in diebus feſtiuis de præcepto, Quadrageſimæ, Aduentus, ac omnibus ferijs ſextis, ſcenicas artes, circulationes, iocos, & artes circulatorum, ſeù Hiſtrionum, Ludos prohibitos, Comedias, & alia ſpectacula Theatralia, & ſimilia, non ſolùm dum Diuiua celebrantur; ſed etiam in quacumque hora prædictorum dieiū, in quibus quilibet Chriſtianus Orationi, Meditationibus, & alijs pijs exercitijs debet vacare, & mentem ad Deum eleuare.

Perſonatus item in tempore baccanali in ijſdem diebus feſtis, & ſextis ferijs, cenſentur ſub eadem pœna prohibiti.

✠✠✠

CA-

CAPVT TERTIVM.

QVI Officinas habent, diebus feſtis clauſas omninò teneant, exceptis Aromatarijs, & ijs, qui res ad victum neceſſarias venditant; qui tamen publicè nihil venale exponant, ſed aperto tantummodo oſtiolo, vendant. Si verò Ianua integra, diebus feſtiuis aperta inueniatur, etiam ſi nihil vendant, eaſdem pœnas, ac ſi venderent, incurrant.

CAPVT QVARTVM.

HIS diebus feſtis Sacri Canones ob tres cauſas; videlicet, cum neceſſitas vrget, cum pietas ſuadet, cum publica vtilitas exigit, ſeruilia opera permittunt. Nos harum cauſarum declarationem Nobis, & Vicario noſtro Generali, & Foraneis reſeruamus, itaut nemini ſine noſtra, vel noſtrorum Vicariorum licentia licitúm, fore velimus, in dictis caſibus ſeruilia opera exercere. Cauti verò ſint Vicarij Foranei, vt talem licentiam, non niſi aliqua ex prædictis cauſis concurrente, concedant. Item Miſſa Conuentuali abſoluta, & gratis omninò.

ALLEGATIONES.

Ad Vicarios Foraneos ſpectare, non autem ad Parochos, niſi illis abſentibus hanc licentiam concedere reſcripſit *Sacra Cong. ad Archiepiſcopum Materanenſem ſub die* 18. *Nouembris* 1592. Licitum eſt Vicarijs Foraneis (imò tenentur) conuocare Clericos, & cum iſtis explorare loca, vt laborantes ſine licentia inueniant, & illis, vt libenter

benter accedant, tertiam partem pęnæ erogare debent; Reliquum autem pęnę pauperibus eiuſdem loci de licentia Epiſcopi eſt erogandum. *Sac. Cong. Epiſc. in vna Theanenſi 5. Feb. 1591.* apud Synodū Illuſtriſs. & nunquam ſatis laudati Aloyſij Pappacoda Epiſcopi digniſſimi Lycien. in *tit. de cultu dierum feſtorum in Annot. ad S. 2.*

CAPVT QVINTVM.

Sancta Romana Eccleſia fideli Populo Sanctè ieiunium prædicat, & præcipit, quia ad Deum exorandum, ac placandum, non voce ſolùm, ſed & ieiunijs, & lachrymis ingemeſcendum eſt; Ieiunio etenim vitiorum ſentina ſiccatur, concupiſcentia languet, abſunt voluptates, & per ieiunia Deus virtutē largitur, & præmia; Ideò Nos ab omnibus religiosè, & piè obſeruari mādamus: Quiſquis autem illud in diebus à Sancta Romana Eccleſia pręſcriptis poſt vigeſimum primum ſuæ ætatis annum, abſque legitima cauſa, & ſine noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia violare præſumpſerit, præter mortalis peccati reatum à Nobis arbitrio noſtro grauiter punietur.

Feſta verò, & ieiunia in noſtra Ciuitate, & Dięceſi obſeruanda ſunt deſcripta in Anacephaleoſi Conſtitutionum Synodalium noſtrorum Prædeceſſorum; Quare hìc tranſcribere ſuperuacaneum eſſe duximus.

✠ ✠ ✠

TI-

De Prædicatione Verbi Dei.

CAPVT PRIMVM.

QVia beati à Domino Saluatore Noſtro appellantur, qui verbum Dei audiunt, & illud cuſtodiunt; ideò in Domino hortamur omnes vtriuſque ſexus fideles Noſtræ curę ſubiectos, paternèque monemus, vt quibuſcumque poſtpoſitis negotijs, ea qua decet reuerentia, & pietate ad Conciones audiendas accedere, & Diuinum pabulum excipere contendant: hanc verò noſtram monitionem contemnentes, ſciant ſe ex Deo non eſſe, damnationiſque ſignum, non prædeſtinationis præoſtendere. Clerici autem cuiuſcumque ſtatus, & conditionis, id omninò præſtare ſub pœna indignationis noſtræ non recuſent.

CAPVT SECVNDVM.

COnſtitutionibus à digniſſimis Prędeceſſoribus editis inhęrendo, præcipimus ſub pęna vnius libræ ceræ albæ elaboratæ, vt tempore Concionis, omnes Artificum, ac Mercatorum officinę ſint clauſæ, ne fideles negotiationis cauſa, à Concione retrahantur; & vltra. Ne vlli Sacerdoti, in eodem tempore, quo Dei verbum prædicatur, Miſſam in quacumque Eccleſia celebrare, aut Sacramenta adminiſtrare liceat.

***

CA-

CAPVT TERTIVM.

CVM inter Parochorum officia præcipuum ſibi vindicet locum prædicandi munus, idcircò omnibus curam Animarum habentibus ex Decreto Conc. Trid. diſtrictè præcipimus, vt ſingulis Dominicis, alijſque feſtiuis diebus per ſe, vel per alios idoneos, inter Miſſarum ſolemnia, aut poſt Veſperas, vt magis expedire iudicauerint, Cathechiſmum Romanum vulgari lingua breuiter declarare, & rudem plebem ſibi commiſſam docere, à vitijs reuocare, & ad virtutem inflammare omninò ſatagant.

CAPVT QVARTVM.

NVnquam rectè Concionator ſuum munus obire poterit, niſi quod docuerit, & prædicauerit, priùs opere compleuerit; Oportet enim iuxta Magni Greg. ſententiã, priùs mundari, quàm mundare. Sit igitur Concionator ita ſingulari vitę innocentia, moribus ſanctiſſimis, & Diuinis virtutibus excultus, vt & vitam doctrina colluſtret, & doctrinam vita corroboret.

Valetudinarij Concionatores omninò in noſtra Diœceſi à munere prædicationis ſe abſtineant, ne ob valetudinis prætextum cibis Paſchalibus, cum ſcandalo inſipientium, quibus adhuc debitores ſumus, veſci cogantur.

CAPVT QVINTVM.

MEminerint Concionatores ex Cõſtitutione Concilij Lateranenſis ſub Leone X. celebrati,

brati, ſub pœna excommunicationis latæ ſententię Romano Pontifici reſeruatę, hęc omnia ab ipſis adimplenda, vt veritatem Euangelicam, & Sanctam Scripturam, iuxta declarationem, & interpretationem Doctorum, quos Eccleſia, vel vſus diuturnus approbauit, prædicent, atque explanent; nec quidquam prauo ſenſu illi contrarium, aut diſſonum adijciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius Sacræ Scripturæ verbis, & Patrum interpretationibus ritè, & ſanctè intellectis, non diſcordent.

Si quiſpiam autem, quod abſit, errores, aut ſcandala, in Populum ſiuè in prædicando, ſiuè ſuo prauo exemplo diſſeminauerit, prout, & ſi cibos vetitos comederit: Curatus ſtatim certiores nos faciat, & interim Prædicationem ei interdicat.

TITVLVS VNDECIMVS.

De Parochis, & eorum Officio.

ARS Artium, iuxta Oraculum D. Greg. eſt regimen Animarum; cum in latebris rimandis, eorumque morbis curandis, totum verſetur; hinc quanta ſit eiuſdem regiminis difficultas, ei innoteſcit, qui Diuinarum ſcripturarum didicerit teſtimonia. Cuius animus non concuteretur ſi cogitarit, Sanguinem Ouium noſtræ curæ commiſſarum è manibus noſtris à Supremo Iudice eſſe requirendum? & quod magis exhorreſcendum eſt excuſationem Paſtoris non admitti, ſi Lupus Oues comedit, & Paſtor neſcit? Diligenter igitur, qui hoc onus Angelicis humeris formidandum ſubire cupit, cogitare debet an facultates ſuppetant, nè

Ezech. 33.

Triden. ſeſſ. 6. cap. 1.

fortè cùm exiguæ ſtaturæ ſit, gigantum induat arma, quæ tùm in curſu, tùm in prælio impedimento ſint: Væ illis (ait D. Bern.) qui de vineis ſuis non niſi ſpinas colligunt, & Tribulos; & vineis adhuc Dominicis ſe ingerere non verentur. Væ (inquit D. Greg.) qui culmen regiminis non ad officium portandi oneris, ſed ad appetitum gloriæ, & tranſitorij honoris ſuſcipit. Væ, qui Dux Chriſtianæ Militiæ fieri ſuſtinet, non dum veteranus Miles, nec diù exercitatus in omnium victoria. Parochus eſt Aurora oriens, non vt præſit, ſed vt proſit: Vita enim ipſius cenſura eſt, ad quam Populi diriguntur, & conuertuntur; Non tàm imperio, ait Plin. Nobis opus eſt, quàm exemplo. Verùm ab huius oneris ſuſceptione illi ſoli abſterreantur, qui à Deo tanquam Aaron minimè vocati, ignorant Dominum ſupponere manum ſuam: illi verò, qui in Domino iactant cogitatum ſuum, certò ſciant ſe rectè munus exercere, cum promiſſio Diuina ore proprio Curatoribus Animarum facta, illis verbis: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi, numquam eis defutura ſit; præſertim ſi ante omnia id ſpectent, vt vitia, quæ Populos occupauerint, exemplo probatæ vitæ explantent. Oſtendentes in ſeipſis morum, virtutumque omnium normam, quam eorum ſubditi ſequantur, atque imitentur; Cæteraque adimpleant, quæ ſequentibus ſanctionibus decernentur.

CAPVT PRIMVM.

CVrati omnes, vt alibi decreuimus, per ſeipſos, niſi legitimè impediti fuerint diebus Dominicis,

nicis, & alijs feſtis de præcepto Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcant, docendo ea, quę ſcire omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem; Cathechiſmum etiam Romanum vulgari ſermone, & ea, quæ in Miſſa leguntur, ex præcepto Sac. Concil. Trid. exponere tenentur, & aliquando Myſterium huius Sanctiſſimi ſacrificij declarare, & ſupra omnia omninò obſeruari præcipimus, quod à Prædeceſſoribus noſtris fuit Parochis iniunctum; nempè, vt poſt Offertorium Miſſæ Conuentualis diebus feſtis conuerſi ad Populum ſimul omnes vna voce recitent Confiteor, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogi præcepta.

CAPVT SECVNDVM.

MEmores ſint Parochi, quod ipſis Cura Animarum commiſſa eſt, & ſuarum Perſonarum induſtria circa Gregem ſibi commiſſum à Sac. Côc. Trid. exigitur; idcircò per ſe ipſos Sacramenta adminiſtrent, Animarum curam gerant, & ſuam Eccleſiam vti vnicam Sponſam diligant. Neque cuiquam liceat per Subſtitutum, ad quem non pertinet de Ouibus, huic muneri ſatisfacere, niſi neceſſitas vrgeat, & tunc cum noſtra licentia, quæ numquam concedetur, niſi ille fuerit priùs à Nobis examinatus, & approbatus. Eos autem Subſtitutos habere numquam Nos permiſſuros eſſe ſciant, niſi impotentes, vel infirmi ſint, aut Populorum multitudini per ſe ſolos ſatisfacere nequeant. At ſi aliquando iuſto aliquo impedimento detenti per ſe ipſos Sacramenta adminiſtrare non valuerint, non alio Sacerdotum Miniſterio vtantur, niſi eorum,

qui à Nobis ad Sacramentales Confeſſiones excipiendas approbati fuerunt, ne fortè ob ignorantiam Miniſtri de Sacramentorum valore, cum tanta Animarum perniciè dubitari contingat. Præterea in Sacramentorum adminiſtratione, & Animarum cura ſolliciti ſint, atque prudentes, & ſeſe Paſtores, qui Animam ponere debent pro ouibus ſuis verò eſſe demonſtrent.

CAPVT TERTIVM.

CAueant ne eorum culpa, aut negligentia aliquem paruulum ſine Baptiſmo, Adultum ſine Pœnitentiæ ſacramento, Sacro Viatico, extrema Vnctione, & Animæ commendatione ex hac vita diſcedere contingat; alioquin vltra Diuinam vltionem, ſtrictam Nobis rationem, de ipſorũ negligentia ſunt reddituri; Quandocumque tamen acciderit, vt ex eorum Parochianis aliquis ſine omnibus Sacramentis ab hac vita diſcedat; teneatur id Nobis, vel Vicario Noſtro ſignificare.

CAPVT QVARTVM.

SÆpè Populos hortentur, vt cum infirmitatis caſus euenerit tempeſtiuè Parochos præmoneant, vt ſuum munus explere poſſint; præterea ijdem Parochi curent, vt ſciãt ſi aliquis ex ſuis Parochianis ægrotet, eumque etiam non accerſiti, vltro viſitent, & inquirant, an is confeſſionem fecerit ſuorum peccatorum, & ad Sacramenta omnia ſuſcipienda excitent; eoſque enixè in Domino monemus, & obteſtamur, ne in extremis cõſtitutos dere-

lin-

linquant, ſed tunc maximè laborent, vt eorum Animas ex Infernalis hoſtis faucibus eripiant. Infirmos ad patientiam, ad tentationes repellendas, ad contritionem intimam peccatorum, ad cogitationes bonas concipiendas, & ad fiduciam de Diuina Miſericordia hortentur; illorumque Spiritus ex hac vita migrantes Creatori ſuo deuotè commendent: Sin verò alijs curæ impedimentis detenti fuerint, itaut moribundi vltimum tranſitum expectare non poſſint, per alium Sacerdotem idoneum id munus adimpleant. Negligentes in hoc à Nobis arbitratu noſtro grauiter punientur.

Conſtitutionem fel. rec. Pij V. qua Medici prohibentur, nè vltra tres vices ægrotos viſitent, qui non fuerint Sacramento Pœnitentiæ Deo reconciliati, omninò ijdem Parochi obſeruare enitantur.

CAPVT QVINTVM.

IN ſuis Parochijs ſinguli ſedulò inquirant, an qui ſub eorum cura degunt in Concubinatu viuant, vſuras exerceant, graueſque inimicitias gerant; An item aliqui publici Excómunicati, an Blaſphemi, an Adulteri, Lenones, Sortilegi, bonorum morum corruptores, rerum Eccleſiaſticarum occupatores, an Coniuges ſeparatim abſque iudicio Eccleſiæ viuentes, an in gradibus prohibitis, & minus canonicè coniuncti reperiantur. Hos itaque alioſuè ſimiles ſi ſe ad eos corrigendos impares agnouerint, ad Nos deferant, vt qua ratione his malis prouidendum ſit, pro noſtra authoritate, & prouidentia decernamus.

Inſuper ter in anno nempè in menſibus Aprilis,

Auguſti,& Decembris inconcuſsè deferant,ſeù denuncient omnes Clericos contumaces in ſeruitio Eccleſiæ, in doctrina Chriſtiana, ac in conferentia caſuum Conſcientiæ: Omneſuè alios talarem habitum non deferentes, Aleatores, Blaſphemos, aut alio quocumque ſcelere coinquinatos, vt pariter pro viribus his malis, Dei auxiliante gratia, occurrere poſſimus.

CAPVT SEXTVM.

CVM ſæpè contingat Libros Parochiales, vel caſu, vel Parochorum incuria deperdi, præcipimus, vt ſingulis annis de menſe Auguſti, dum ad obedientiam præſtandam ad Cathedralem Parochi accedunt, quilibet eorum exemplaria proprio charactere ſubſcripta ad Epiſcopalis Archiuij Præfectum, deferant in eodem Archiuio cuſtodiēda. Pro deſcribēdo verò in præcitatis Libris Baptizatos, Matrimonio coniunctos, & Defunctos, formulas inferiùs inſertas, omninò adhibeant.

TITVLVS DVODECIMVS.

De Reſidentia.

CAPVT PRIMVM.

CVM onus Reſidentiæ à Iure Diuino, naturali, & poſitiuo fuerit Parochis impoſitum, proinde præcipimus, vt vltra diem abſque noſtra licentia abeſſe non valeant; Si verò repentina de cauſa diſcedere quiſque coactus fuerit, is abſentiæ ſuæ

cau-

cauſam per litteras Nobis ſignificet, quæ ſi rationabilis videbitur perinde erit, ac ſi licentiam obtinuiſſet. In illis autem locis, in quibus non adeſt alius Sacerdos ad Sacramentorum adminiſtrationem aptus, non permittimus Parocho pernoctare extra Parochiam, ſub graui pęna arbitrio noſtro infligenda.

CAPVT SECVNDVM.

CAnonicis ſiuè Cathedralis, ſiuè noſtrarum Collegiatarum vltra tres dies. Alijs verò quibuſcumque etiam ſi in Minoribus fuerint conſtituti, vltra decem dies, à Diœceſi abſque noſtra expreſſa licentia, ſub pęna librarum decem ceræ albæ, abeſſe non permittimus.

TITVLVS DECIMVSTERTIVS.

De Sacramentorum Adminiſtratione.

CAPVT PRIMVM.

MEmoria retineant Parochi, & aſſidua meditatione reuoluant ſe omni temporis momento ad Sacramenta miniſtranda paratos eſſe oportere; Proindeque ita vitam inſtituere debere, vt hæc Sacroſancta Myſteria dignè tractare poſſint, nè æternæ mortis reatum incurrant. Decenter, & cum magna grauitate adminiſtrent, & vt id piè, & deuotè agere poſſint, antequam ad miniſtrandum accedant, ſi tempus id permittat, oratione, & meditatione eius actionis, quam perficere

debent,

debent, ſe præparent, ac Rituale omninò præuideant.

CAPVT SECVNDVM.

LIcèt in adminiſtratione Sacramentorum intentio virtualis ſufficiat, attamen, quia multò cõuenientiùs eſt eum, qui tam ſanctis myniſterijs fungitur, non ſolùm corpore, ſed & mente, ac animo in actu ipſo præſentem eſſe. Ideò in ipſa adminiſtratione intenti ſint ei actioni, quam agunt, ac actualem intentionem habere procurent. Formas diſtinctè, & ad vnguem pronunciare, ac Orationes quoque non deglutiendo, nec celeriter, ſed clarè, & intelligibiliter legere ſatagant.

CAPVT TERTIVM.

AD Maiorem Sacramentorum reuerentiam præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis, vt in ipſa adminiſtratione quilibet adminiſtrator veſte talari decenti, ac ſuperpelliceo, & ſtola ſit indutus; niſi fortè repentina cauſa id non permittat.

CAPVT QVARTVM.

CAueant Parochi, ne quis ex ſuis Parochianis ipſorum negligentia ſine Sacramentis ex hac vita decedat, vt ſupra ſub tit. de Paroch. & eorum officio ſancitum eſt cap. 3. alioquin ſuſpenſione ab officio, & beneficio, alijſuè etiam pęnis pro culpæ grauitate punientur, & quando caſus acciderit, teneatur Parochus in Ciuitate, Vicario noſtro, & in Diœceſi, Vicarijs Forancis infra biduum denunciare,

ciare, qui Vicarij ſtatim vocatis Defuncti propinquis, vel vicinis inueſtigent, an culpa, ſiuè negligentia Parochi id acciderit, & rem totam ad Nos quamprimum deferant.

CAPVT QVINTVM.

CAueant inſuper Parochi, & alij Sacramenta adminiſtrantes, nè pro Sacramentorum adminiſtratione aliquid directè, vel indirectè ſignis, vel verbis, aut alia quacumque ratione petant, & id ſub pęna ſuſpenſionis, & alijs arbitrio noſtro imponendis: imò vt omnis auaritiæ, & ſimoniæ ſuſpicio eliminetur, ſub eadem pœna ſuſpenſionis diſtrictè pręcipimus, nè etiam ſub nomine eleemoſynæ, vel alio quouis titulo, & colore quid minimum etiam ab vltro offerentibus exigatur, exceptis candelis, & linteolis, ac illis emolumentis, quæ in Baptiſmo, & Matrimonio, quæ in hac noſtra Diœceſi hactenus vltrò offerri conſuetum eſt, quæ omnia Nos in Sancta Viſitatione de conſilio noſtrorum Conuiſitatorum in locum congruæ, & decimarum Parochis ob Sacramentorum adminiſtrationem debitarum tolerauimus, donec ab Eminentiſſimis Patribus Sac. Conc. Trid. Interpretibus aliud iudicatum fuerit.

CAPVT SEXTVM.

PArochum ægrotantem, maximè in ijs locis, in quibus Sacerdotes minùs apti degunt, Is, qui vicinior eſt Parochus ſtatim, ac de eius ægritudine notitiam habuerit, viſitet, eique Sacramenta debito tempore miniſtret, ac morientis animam

 reli-

religioſis precibus Deo commendet. Omnia denique ſeruet pietatis officia, quæ ſunt ad Animæ ſalutem neceſſaria.

CAPVT SEPTIMVM.

A Sacramentorum ſuſceptione arceantur omnes publici peccatores, de quorum conuerſione non conſtet; ac Mulieres quæ ſcapulas, & humeros nimis denudatos habuerint, quæ moneantur, vt non niſi cooperto, & velato capite, iuxta Apoſtoli præceptum, Sacramenta ſuſcipiant. Denique vt non ſolùm interno, ſed etiam externo omni cultu, tanta myſteria venerentur.

CAPVT OCTAVVM.

PEr ſeipſos Parochi Sacramenta adminiſtrent; vt alibi ſupra ſancitum eſt, niſi legitimo impedimento detineantur, quo caſu non alium ſubſtituant, niſi eum, qui à Nobis priùs fuerit approbatus.

TITVLVS DECIMVS QVARTVS.

De Baptiſmo.

CAPVT PRIMVM.

CVM Sacramentum Baptiſmi ſit omnium Sacramentorum Ianua, ac Chriſtianæ Religionis principium, & fundamentum, ſine quo iuxta Diuinum Oraculum nemo in vitã æternam ingre-

di poteſt ; Ideò omnes Parochos in Domino hortamur, & monemus, vt in illo conferendo ſummâ vigilantia,& diligentia vtantur,nè ipſorum incuria aliquis ab hoc tam neceſſario Sacramento excluſus remaneat.

CAPVT SECVNDVM.

QVoniam ad Parochum, vel eius Subſtitutum à Nobis approbatum, pertinet Baptiſmi Sacramentum adminiſtrare ; Mandamus quod nullus alius ſub pœna ſuſpenſionis audeat illud alicui conferre,niſi à Nobis ad id fuerit ſpecialiter approbatus ; & inſuper inhærendo Conſtitutionibus Prædeceſſorum Noſtrorum,præcipimus, nè Regulares Sacerdotes, aut Clerici cuiuſuis ordinis de fonte baptismali abſque noſtra expreſſâ licentia ſuſcipere audeant, ſub graui pœna arbitrio noſtro infligenda.

CAPVT TERTIVM.

IN nulla alia Eccleſia, quam Parochiali hoc Sacramentum miniſtretur, & vltra tres dies abſque noſtra licentia eius collatio non protrahatur.

CAPVT QVARTVM.

CVm Patrinorum officium ſit Infantes in fidei rudimentis inſtruere,præcipimus vt ad ipſos Infantes è Sacro fonte ſuſcipiendos,non admittantur,qui fidei initia non calleant ; & qui annum decimum quartum nō exceſſerint;& qui sacro Chriſ-

mate vncti non fuerint ; Renouantes Conſtitutionem in prima Synodo huius Cathedralis Eccleſiæ emanatam, quam omninò ſeruari diſtrictè decernimus, atque mandamus.

CAPVT QVINTVM.

REprehendendos eſſe (ait Cathech. Rom.) eos, qui Gentilium nomina, præſertim eorũ, qui ſceleſtiſſimi fuerunt, pueris imponunt. Vnde Parochis mandamus, quod ſi nomen baptizando imponere velint, quod non ſit alicuius Sancti, moneant illum deferentes, vt eo dimiſſo, aliud nomen Infanti alicuius Sancti, vel Sanctæ imponant; Et ſi plura nomina ei imponantur, tunc ad occurrendum fraudibus, quæ in nominum variatione committi poſſunt; iiſdem Parochis præcipimus, ne ſingula nomina impoſita, ſed illud quo ſemper vocandus ſit ad placitum Parentum, in conſueto Libro diſtinctè deſcribant.

TITVLVS DECIMVSQVINTVS.

De Sacramento Confirmationis.

CAPVT PRIMVM.

SAcramentum Confirmationis cum à Diuina Clementia fuerit inſtitutum ad fideles inſtruẽdum in fide, & roborandum ad pugnam; In Baptiſmate enim (ait D. Petr. Dam.) Spiritus datur ad veniam; in Confirmatione verò ad pugnam, ibi mundamur ab iniquitatibus, hìc virtutibus præmuni-

munimur: Meritò in Concilio Prou. Mediol. ſancitum fuit nè Confirmationis Sacramẽtum ijs pręberetur, qui annum ſeptimum, in quo Nobis colluctatio, & pugna præparatum aduerſus Principes, & tenebrarum Poteſtates, nõ expleuerint; huic itaque Decreto, alijſuè Canonicis Sanctionibus inhærendo pręcipimus, vt minores ſeptennio, Adulti, verò, non niſi Confeſſi, vel ſaltem contriti, cum propoſito quamprimùm confitendi, ad hoc Sacramentum minimè accedant: Et ad tumultuationis, ac ſtrepitus, quos in adminiſtratione huius Sacramenti, aliàs in hac noſtra Diœceſi experti ſumus, remouendos, curent Parochi paucis ante diebus, quàm Epiſcopus Sacramentum hoc ſit miniſtraturus, non ſolùm fideles præmonere de ijs, quæ his noſtris Conſtitutionibus præſcripta ſunt, verum etiam per familias adnotare eos, qui in ætate ſint à Nobis præſcripta, illiſque ſchedulam ſua manu ſignatam tradant Epiſcopo in actu Confirmationis reportandam. Conc. Pro[illegible] 5. de Conf[illegible] ac. fol. 226.

CAPVT SECVNDVM.

SI verò Epiſcopus ob aliquam iuſtam cauſam, atque adeò neceſſariam Paruulo, & Infanti, qui non modò eam ætatem non expleuit, ſed nè quidem attigit, miniſtrandum aliquando cenſuerit, tunc eorum Parentes, vel eos, qui curam de illo gerunt, moneat Parochus, vt ætate procedente, illos de Confirmationis Sacramento, iam ſuſcepto, certiores faciat; Nè Parentibus, Curatoribuſuè poſtea mortuis, ipſi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum (quod iterari nefas eſt) ſuſceperint.

CA-

CAPVT TERTIVM.

NVllus Confirmandum tenere audeat, qui hoc eodem Sacramento inſignitus priùs ipſe, nõ fuerit; & ſi de facto aliquis Sacro Chriſmate non vnctus Confirmandum tenuerit, ſciat nullum inter ipſos Confirmatorumque Parentes ſpiritualem cognationem oriri: Sac. Cong. in vna Lycien. die 13. Iunij 1654. Præterea ab hoc Patrinicio, ſiuè Patrini munere arceantur, qui fidei rudimenta non callent; qui annum decimum quartum non expleuerint; ac denique Sacerdotes, Regulares, & Clerici cuiuſuis ordinis, prout etiam in Sacramento Baptiſmi decreuimus.

TITVLVS DECIMVS SEXTVS.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CAPVT PRIMVM.

DVM Sacra Euchariſtia fidelibus adminiſtratur, Parochus breuibus quidem, ſed affectuoſis verbis communicantes alloquatur in memoriam illorum reuocans dignitatem huius tremendi Sacramenti, & quanta puritate, fide, & deuotione, quàm demiſſo, & humili geſtu, modeſto habitu ad illud accedendum ſit, nè Iudicium ſibi manducare contingat. Mulieres humeros nimis denudatos habentes, ac notorios peccatores etiam confeſſos, ad cœleſtem Menſam non admittat, quouſque manifeſtam aliquam de ſuis peccatis ſatisfactionẽ exhibuerint. Occultos autem peccatores occultè peten-

petentes repellat, non autem ſi publicè petant, & ſine ſcandalo eos præterire non poſſit.

CAPVT SECVNDVM.

SAtagant Parochi per totam Quadrageſimam pueros, & puellas, quæ decimum annum expleuerint Euchariſtiæ Myſterium, ac præparationem neceſſariam ad tantum, ac tremendum digne Sacramentum recipiendum, edocere, vt in Paſchate hoc ſaluberrimo Cibo pro prima vice veſci valeant. Et nè exequutio huius Decreti negligatur, mandamus omnibus Parochis, vt quilibet eorum poſt octauam Paſchatis catalogum puerorum, quos in Paſchate ad Sacram Cœnam admiſerit, ad Nos transmittat.

CAPVT TERTIVM.

DEcretum in ſexta Synodo emanatum, quo omnibus Parochis præcipitur, vt initio Quadrageſimæ Animas ſuæ curę commiſſas deſcribant, renouantes, vltrà pręcipimus, vt nomina, & cognomina fidelium ordine alphabeti in libro deſcribantur; huncque poſteà conferat cum catalogo communicatorum in Paſchate, vt qui communionem ſumpſerint, quiuè non, facilè comperiantur.

CAPVT QVARTVM.

CVm Sanctiſſimi Corporis Domini Sacramentum ad ægros defertur, aut quomodolibet per viam circumfertur, ſi quis obuiam fiat, dum

vel

vel equo, vel curru, vel iumento vehitur, vbi primum Sacerdotem id ferentem viderit, inde ſtatim deſcendat humique flexis genibus tamdiù in adoratione permaneant, quo ad ille cum Sacramento tranſierit; at verò omnis ſiuè Sacerdos, ſiuè Clericus quicumque eidem Sanctiſſimo Sacramēto Euchariſtiæ obuiam fiet pro Chriſtianæ Religionis cultu, domum vſque eius, cui miniſtrandum eſt, & ad Eccleſiam quoque quò reditur, pia veneratione proſequi, & comitari omninò ſtudeat, niſi neceſſitate, cauſauè vrgenti vehementer impediatur.

Id omne vt cuncti fideles ſtudioſè, religioſèque præſtent, illos vnuſquiſque Parochus quam ſępeſſimè, ac diligentiſſimè commonefaciat.

CAPVT QVINTVM.

CVm quis periculoſè ægrotans Sanctiſſimam Euchariſtiam ad modum Viatici, ac etiam Sacramentum Extremæ Vnctionis ſuſcepit, ſi poſtea aliquot dies ſuperſtes Sacram Communionem ſibi miniſtrari petit, eius pio, religioſoque deſiderio Parochus non deſit, modo nè pro Viatico iterum in eodem morbo præbeat.

TITVLVS DECIMVS SEPTIMVS.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SAcerdotibus, non Regibus, non Principibus Terræ data eſt poteſtas Iudicij ſedem occupare, peccata abſoluere, gratiam Spiritus Sancti conferre, cœli fores claudere, atque reſerare: Recognoſcant

gnoſcant igitur à Deo ſibi traditam beneficij magnitudinem,& eam vitæ probitate, ſcientiaque cõpenſent: Ne dum ipſi cæteros dijudicant homines, in Diuini Iudicij ſeueritatem dilabantur, & eaſdem luant pœnas,quas alijs condonarunt: Has itaque infraſcriptas ſanctiones,vt hoc faciliùs conſequantur,adimplere per ſæpè meditentur, ac ſatagant.

CAPVT PRIMVM.

NVllus Confeſſarius ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda,audeat excipere niſi habitu talari, ſuperpelliceo, & ſtola ſit indutus. Regulares verò eumdem habitum adhibeant, quem in Choro ad Diuina celebranda adhibere conſueuerunt. *Sac.Cong.* 10. *Iulij*. 1625.

CAPVT SECVNDVM.

MVlierum nullatenus Confeſſiones ante Solis ortum,& poſt eius occaſum, & nè alibi quam in Eccleſia,& ſede confeſſionali, ad confeſſionem excipiantur. Quinimò ante eorum pedes genuflecti non permittant, ſed per crates ferreas omninò audiantur. Quod ſi infirmitatis cauſa earum confeſſiones in priuatis domibus Confeſſarius audire debuerit,foribus cubiculi reſeratis, itaut ab omnibus de domo videantur, id faciat.

Si contra hoc Decretum, aut partem ipſius temerè quiſquam ab aliquo factum fuerit, ab audiẽdis confeſſionibus,donec Nobis placitum fuerit, ſit ipſo Iure ſuſpenſus.

Eadem Sac.Cong.vbi ſupra.

CAPVT TERTIVM.

NVllus Sacerdos ſiuè Sęcularis, ſiuè Regularis ad examen à noſtris Examinatoribus admittatur niſi trigeſimũ quintum ætatis ſuæ annum expleuerit. Et qui obtinendi cauſa approbationem doloſè ætatem iam præſcriptam habere perhibuerit, dum reuera illam non expleuerit, ipſo Iure ſit à Iuriſdictione ſuſpenſus.

CAPVT QVARTVM.

COnfeſſarij tùm Sæculares, tùm Regulares, qui hactenus à Nobis licentias audiendi Cõfeſſiones oretenus adepti ſunt, vel etiam in ſcriptis, ſed ad libitum, ſi eas ſibi prorogari cupiunt intra terminum dierum quindecim à die publicationis huius Conſtitutionis computandum coram Nobis ſe ſiſtant, aliàs licentiæ ſibi conceſſæ pro expiratis habeantur.

Nomina Confeſſariorum probatorum in Tabella ordine deſcribantur, ipſaque in valuis Sacriſtiæ tùm Parochialium, tùm Regularium affixa in omnium conſpectu ſit.

CAPVT QVINTVM.

SI (quod Deus auertat) Confeſſarius peccatum aliquod verbis, aut factis etiam minimum, quomodocumque cum Pęnitente commiſerit, ne, ea Iuriſdictione, & authoritate, quam habet, abutatur, ipſum quò ad hanc cauſam, culpamque attinet, Iuriſdictione priuamus, ac à munere Confeſſionis

eius

eius audiendæ cuius ſocius in crimine fuit, omninò interdicimus: Nec verò abſolutio, ſi quam impartierit, vllius roboris ſit, ſed irrita planè, ac reſciſſa, nullaque omninò tamquam ab eo impertita, qui Iuriſdictionem, & facultatem non habet: & vltrà ipſe Confeſſarius, qui ſocium, aut ſociam criminis abſoluere auſus fuerit, Excommunicationis ſententiam ipſo Iure ſtatim ſubeat, à qua à nullo alio, quam à Nobis tantùm abſolui poſſit.

ANNOTATIONES.

Hæc Conſtitutio deſumpta eſt ex actis Mediolanenſis Eccleſiæ Syn. II. tit. Monita exequutionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent; verb. Confeſſarij fol. mihi 409. & ab illo Sanctiſſimo Antiſtite Carolo Borromęo præſcripta fuit ex fine, vt Confeſſiones à fidelibus fiant cum pudore, & verecundia, & animo præcauendi peccata in futurum; Pœnitens enim, qui Confeſſario culpæ ſocio peccata ſua aperiret abſque vllo rubore, & verecundia id faceret, & conſequenter occaſionem liberiùs peccandi arriperet. Sectando igitur, ac ſummoperè venerando veſtigia tanti Præſulis hanc eandem Conſtitutionem in hac noſtra Synodo præſcribimus, & in Domino confidimus, quod fruſtra præſcribatur, cum à quolibet Sacerdote omnem impudicitię, alteriuſuè criminis labem abeſſe pro certo habemus. Verùm ſi fortè (quod Deus auertat) caſus euenerit, aduertat Confeſſarius, quod complicem in crimine nullo modo poterit abſoluere, etiamſi à Nobis

facultatem à Caſibus reſeruatis abſoluendi obtinuerit; Quinimò etiam tempore Iubilæi, vt optimè notat *Bonac. de Sacram. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *part.* 5. §. 5. *num.* 10. Quia à tali Confeſſario dempta eſt omninò Iuriſdictio audiendi confeſſiones ſociorum culpæ, itaut confeſſio facta tali Confeſſario irrita ſit, & nulla; Ergo ex hac Cõſtitutione non inducitur reſeruatio, ſed omninò reprobatur Confeſſarius ab audienda complicis confeſſione,& conſequenter etiam ſi haberet facultatem abſoluendi à reſeruatis, vel tempore Iubilæi,non poteſt complicem abſoluere, aliàs ſequeretur,quod excommunicatus, vel ſuſpenſus à Iuriſdictione poſſet tempore Iubilæi à peccatis abſoluere,quod abſurdum eſt dicere.

Aduertant pariter Confeſſarij, quod hæc noſtra Conſtitutio non intelligitur de ijs Confeſſarijs, qui culpam cum Pœnitentibus in actu, ſeù prætextu Sacramentalis Confeſſionis committere auſi ſunt,contra quos militat Conſtitutio à Gregorij XV. contra ſollicitantes emanata. Vrget itaque hoc noſtrum Decretum aduerſus illos Confeſſarios, qui quomodolibet etiam extra caſum Gregorianæ Conſtitutionis facinus aliquod cum ſocio patrauerint, à quibus Confeſſa ijs ſic in crimine complicibus nullatenus ſocios ipſos abſolui poſſe decernimus,ac prohibemus.

CAPVT SEXTVM.

RES incertorum Dominorum, quæ à Pœnitentibus Confeſſario reſtitutionis gratia conſignantur, Confeſſarius apud ſe non retineat, aut

diſtri-

diſtribuat, ſed ad Vicarium noſtrum eas deferat, qui vocato Pęnitentiario illas iuſtè diſtribuat, aut Domino ſi inueniri poterit, aut locis pijs, prout Sacrorum Canonum Iura diſponunt.

CAPVT SEPTIMVM.

Caueant omninò Confeſſarij, nè pœnitentias pecuniarias ſibi applicandas, aut à ſe diſtribuendas Pœnitentibus imponant, & nè quid, ſub nomine eleemoſynæ, vel alio quouis titulo, & colore, quamuis minimo, etiam ab vltrò offerentibus exigant, ſub pœna ſuſpenſionis à Iuriſdictione, alijſuè noſtro arbitrio imponendis. Sup. tit. de Sacram. in gen. cap. 5.

CAPVT OCTAVVM.

Caueant pariter Confeſſarij Concubinarios ad Pęnitentiæ Sacramentum admittere, niſi de reali Thori, ac habitationis ſeparatione, eoſque verè pœnituiſſe, & ſaltem per duos menſes continuis ſe ſibi innoteſcat. Peccatoribus verò in quocumque peccato habituatis, etiam ſi occaſione proxima peccandi careant, abſolutionis beneficium nè impendant, niſi ſigna veræ pęnitentiæ oſtenderint, & per menſem ſaltem à peccato ſe abſtinuiſſe compeperint. Moderato Decreto 22. ſextæ Synodi, in quo abſtinentia quatuor menſium præſcribitur.

Et denique ab hoc Sacramento arcẽdi ſunt, qui Myſteriorum fidei ignorantia laborant, quo ad ipſa addidicerint.

✠✠✠

ANNO

Sciant Confeſſarij, quod ad Pęnitentiæ Sacramentum non ſunt admittendi ij, qui omninò Myſteriorum fidei ignorantia laborant. Quiſquis enim fidelis, vt huius Sacramenti capax ſit neceſſitate ſalutis, ſeù medij, debet explicitè credere, & ſcire duo Myſteria, Trinitatis, & Incarnationis, ac Deum remuneratorem eſſe bonorum operum, & malorum vltorem: Neceſſitate verò Præcepti tenetur ſcire, ſaltem in ſubſtantia omnes Articulos Symboli Apoſtolici, Sacramentum Baptiſmi, Pęnitentiæ, & Euchariſtiæ; Itemque Decalogi præcepta, ita *Sanch. lib. 2. in Decal. cap. 3. num. 23. Tamburr. in meth. exped. Conf. lib. 3. cap. 5. §. 1.*

Dixi in ſubſtantia, quia vt idem Sanchez ait, non eſt neceſſè memoriter ea callere. Siquidem ſatis eſt, ſi ſciat ad interrogata reſpondere.

Non deſunt tamen DD. qui aiunt ex neceſſitate ſalutis ſufficere ſemel credidiſſe Myſteria prædicta: Quinimò & implicitè ea credere ſufficit; credendo ſcilicet Deum potentem remittere peccata, & gratiam, gloriamque dare, ait *Caſtropal. tom. 1. tract. 4. diſp. 1. part. 10. nu. 5. apud Tambur. in præcep. Decal. cap. 1. de fid. §. 1.*

Ab alijs denique multò benignius hæc neceſſitas explicatur, nam Emmanuel Sà inclinat in hanc opinionem; Sufficere ſcilicet cum Baptiſmo credere ea, quæ credit Eccleſia Catholica, cuius verba hæc ſunt: Neceſſe explicitè credere fidei myſteria, quę publicè in Eccleſia celebrantur. Sentiunt multi cũ D. Thom. Alij, excuſari multos igno-

ignorantia, præſertim cum deeſt, qui doceat ſufficereque in illis cum Baptiſmos credere, quod credit Eccleſia, quam opinionem, & ſi adhuc ſolebam improbare, nunc non auſim. Quid enim? Dicemus nè perire infinitam Chriſtianorum alioquin donorum multitudinem, qui de Myſterio etiam Trinitatis, & Incarnationis vix quidquam rectè norunt, imò peruersè ſentiunt, ſi interroges? Potius crediderim condemnari iſtorum Paſtores ob negligentiam docendi, hæc eadem. Hæc ille.

At Cauti ſint Confeſſarij nè decipiantur, & rudes omninò Myſteriorum fidei authoritate præcitatorum Doctorum ſuffulti ad Pœnitentiæ Sacramentum admittant eiſque non inſtructis abſolutionis beneficium impēdant: Inter alias enim propoſitiones à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Papa XI. damnatas, vt erroneę damnatæ fuerunt hæ duæ iam enunciatæ propoſitiones ſcilicet;

1. Abſolutionis capax eſt homo quantumuis laboret ignorantia Myſteriorum fidei, & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

2. Sufficit illa Myſteria ſemel crediſiſſe.

Ijs igitur ſtantibus remanet inconcuſſa ſententia, qua cauetur, nè beneficium abſolutionis Sacramentalis illis impendatur; qui Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis, ac Deum remuneratorem eſſe ignorant, & explicitè non credunt: Itemque Symbolum Apoſtolorum ſaltem in ſubſtantia non callent. Maximè ſi hęc culpabiliter ignorant.

Paro-

Parochos verò monitos eſſe volumus in verbis Emmanuel Sà ſupra tranſcriptis. Quid enim? (ait ipſe) Dicemus nè perire infinitam Chriſtianorum multitudinem, qui de Myſterio etiam Trinitatis, & Incarnationis vix quidem rectè norunt? potiùs crediderim condemnari iſtorum Paſtores ob negligentiam docendi hæc eadem. Ego autem credo, & perire rudes, qui culpabiliter fidei rudimenta non addiſcunt, & perire Paſtores, qui hæc eadem illos docere non ſatagunt.

TITVLVS DECIMVS OCTAVVS.

De Caſibus Reſeruatis.

CAPVT PRIMVM.

Caſus Nobis reſeruatos in Tabella inferiùs registranda adnotatos quilibet Confeſſarius in noſtra Ciuitate, & Diœceſi probatus, ſiuè ſæcularis, ſiuè Regularis ſcire teneatur; illamque nempè Tabellam, vna cum Summario Bullæ in Cœna Domini in ſede Confeſſionali affixa omninò habeat.

CAPVT SECVNDVM.

Omnibus ad Confeſſiones audiendas admiſſis diſtrictè inhibemus nè ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, & in alijs in Decreto fel. rec. Clementis VIII. contentis, Pœnitentes à Caſibus prædictis, præterquam in articulo mortis, & alijs neceſſitatibus à Iure permiſſis abſoluere ſine noſtra expreſſa licentia præſumant;

præ-

præterea ſi de facto quis abſoluere præſumpſerit, abſolutionem nullam, & irritam eſſe decernimus.

CAPVT TERTIVM.

CVm ſępè contingat ab aliquibus incautis Cõfeſſarijs abſolutionis beneficium à reſeruatis Pœnitentibus impendi ſub ſpe futuræ, per Epiſcopum faciendæ ratehabitionis: Propterea ſub eadẽ pœna, vt ſupra ſtatuta, talem abſolutionem ſub ſpe futuræ ratehabitionis omninò prohibemus. Verùm ad errores effugiendos præmoneant Pœnitentes antequam alia crimina patefaciant, vt ſi in Caſus reſeruatos, inciderint, Nos, ſeù à Nobis Deputatos adeant, nè poſt factam aliquorum criminum Confeſſionem cum amaritudine illos dimitti ſibi contingat.

CAPVT QVARTVM.

OMnibus Eccleſiarum Parochis præcipimus, vt Populos de criminum reſeruatorum grauitate ſæpè admoneant, vtque arctius euitentur illa ſigillatim in prima Dominica Aduentus, & Quadrageſimæ quotannis Populo promulgent.

Acta Med. Eccl Syd. II fol. 339. verſ quos verò.

TABELLA CASVVM RESERVATORVM ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO Domino Epiſcopo Neritonẽ.

Caſus, quibus eſt annexa Excommunicatio latæ ſententiæ.

1 EXcommunicamus ipſo facto omnes exercentes Artem Magicam, Nigromantiam,

Facturas, & Incantationes cum expreſſa Dæmonum inuocatione; necnon ad hoc auxiliantes, & fauentes,& non reuelantes.

2 Excommunicamus ipſo facto omnes alloquentes Moniales, vèl Puellas,quæ Educationis cauſa degunt in Monaſterio abſque noſtra expreſſa licentia. Item illos, qui mittunt, ſeù ferunt litteras amatorias ſcienter, & qui ſub prætextu habitæ licentiæ de rebus inhoneſtis (quod abſit) loquuntur.

3 Excommunicamus ipſo facto omnes Abutentes Sacramentis, aut rebus Sacramentalibus in Superſtitionibus, Magijs, & alijs huiuſmodi, necnon conſulentes ad hoc, auxiliantes, & fauentes.

4 Excommunicamus ipſo facto omnes deponentes falſum in Iudicio tàm criminali, quàm ciuili cauſa in graue præiudicium tertij, necnon Magiſtrum Actorum,ſeù Notarium qui fideliter dicta Teſtium, vel Principalium non ſcribunt,& illos,qui ad hoc conſilium,auxilium,& fauorem præſtent.

5 Excommunicamus omnes Bagliuos, ſeù Feudorum Cuſtodes,& Arrendatores, & Talliantes perſonas, & animalia, eorum Dominos, Colonos, Paſtores, & Partitarios, necnon ſi taxatas perſonas, ſeù accommodatas dictæ talliationi conſentientes.

6 Excommunicamus omnes, qui in Paſchate præterito Sacram Euchariſtiam non ſumpſerunt præuia Sacramentali Confeſſione, ita vt tantum maiores treſdecim annorum comprehendantur.

1 BLaſphemiæ in Deum, ſiuè Beatam Virginem ex praua conſuetudine ſaltem quinque vicibus.

2 Homicidium voluntarium, membrorum mutilatio, mandatum ad hoc, conſilium, & auxilium præſtantes.

3 Concubinatus publicus, & priuatus.

4 Inceſtus in primo, vel ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, ita tamen vt mares tantum, hoc ſcelus patrantes, comprehendantur.

5 Debitores adminiſtrationis cauſa, qui non dederunt computa eorum adminiſtrationum, & bonorum quarumcumque Confraternitatum, & Hoſpitalium.

6 Præter has cenſuras, & caſus, necnon violentã iniectionem manuum in Clericum, violationem Immunitatis Eccleſiæ; Procurantes abortum, iuxta Conſtitutionem Gregorij XIII. omnes illas cenſuras, & caſus Nobis in Iure, vel in Synodalibus Conſtitutionibus, vel ex conſuetudine reſeruatur.

7 Nouerint autem Confeſſarij quod ex hac noſtra conſuetudine nihil eis conceditur circa Votorum commutationes, & Iuramentorum, & Inregularitatum diſpenſationem.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CAPVT PRIMVM.

NVllus alius Sacerdos niſi Parochus hoc Sacramentum miniſtret ſub pœna in Titut. de Paroch.& de Sacram. admin. ſupra ſtatuta. Si porrò is impeditus fuerit, mortiſque Infirmi periculum inſtat, tunc Sacerdos alius id miniſtret: Caueat autem Parochus nè in eo miniſtrando negligentiam, vllamue moræ culpam contrahat, alioquin ſi ad illius miniſtrationem accerſitus ire neglexerit vltra rationem, quam Deo ſtrictè eſt redditurus, etiam à Nobis graui pœna plectetur.

CAPVT SECVNDVM.

PArochus ſi per errorem aliud Oleum, quam quod Infirmorum eſt ad ægrotum vngendum vnquam adhibuerit; etiam ſi Chriſmatis, aut Cathecumenorum ſit, tunc errata emendet, & adhibita propria Olei vnctione Sacramentum reiteret.

Æger ſi dum Sacro Oleo vngitur, extremum emiſerit ſpiritum, Parochus inungere deſiſtat, & ſi vi morbi fuerit oppreſſus, ita vt dubitetur viuus nè ſit, vel mortuus, ſub conditione: Si es viuus, Per iſtam Sanctam,&c. hoc Sacramento muniatur.

CAPVT TERTIVM.

EAdem ſtuppa, ſeù bombice ſingula loca non abſtergantur, ſed in qualibet membrorum ſpecie mutetur.

CA-

CAPVT QVARTVM.

PArochus antequam ægro hoc Sacramentum miniſtret, illum ſi ſenſuum, & ſermonis vſum non amiſit cum breuibus, ſuauibus, ac ardentibus verbis ad deſiderium Vitæ æternæ, & ad ſpem de Diuina Miſericordia concipiendam excitare opportunè nè deſiſtat; & cum propè Moribundus eſt in illius Animæ commendatione quam maximè poteſt religioſas, ſanctaſque ſtatutas preces recitet; Curetque toto eo tempore, vt domeſtici, ſimul omnes, qui ad ſunt, pro eo Denm piè precentur.

CAPVT QVINTVM.

VT quilibet Parochus excitetur ad omnem diligentiam, quàm maximè poteſt adhibendam, nè vllus vnquam fidelis ſine huius Sacramenti præſidio ab hac vita diſcedat Sanctiſſimi Epiſcopi Malachiæ ad ſollicitudinem, qua plena eſt cura ſua accendatur exemplo. Hic etenim Sanctiſſimus Epiſcopus tam vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quod culpa ſua Mulier quædam ſine huius Sacramenti munimine deceſſerit, vt totam noctem orando, gemendo, lachrymando conſumpſerit, & lachrymarũ vi quaſi maximo imbre pro oleo ſancto, quod non miniſtrauerit, mortuam perfuderit, mane autem exaudiuit Dominus Sãctum ſuum, ita vt illa è morte tanquam è ſomno excitata è lecto ſeſe erigens Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo conualuerit.

Hæc D. Carol. Borrom. Conſ. Prou. 5.

De Sacramento Ordinis.

CAPVT PRIMVM.

QVÆ de Sacramento Ordinis generali Edicto infra tranſcribendo, præcipimus, omninò hac noſtra Conſtitutione obſeruari mãdamus. Quo circa Parochis omnibus diſtrictè iniungimus, vt poſtquam eis publicatum fuerit Ordinationis Edictum in Dominica, Sabbatum Ordinationis præcedente cum cuncto Clero ſupplicationes, Litaniaſque piè, ac religiosè, vel intus, vel foris Eccleſiam, quiſque eorum in ſua Parochiali recitet, Deumque Opt. Max. exoret, vt eos ad ordines promoueri permittat, quos vtiles Chriſti Milites futuros eſſe dignouerit.

Ad ordinationem nemo accedat, niſi poſt Edictum à Nobis per menſem ante promulgandum.

CAPVT SECVNDVM.

SI quis ad Sacros, aut Minores Ordines etiam Clericalis Tonſuræ conſequendos, Vel ſi vt ſuus filius, frater, conſanguineus, affinis, aut amicus ad Ordines promoueatur, aliquod munus, ſiuè munuſculum cuicumque interceſſori, aut mediatori promiſerit, atque tradiderit, Excommunicationem latæ ſententiæ in Extrauag. Cum deteſtabile, contentam ipſo facto incurrant, & inſuper Ordinatus à ſuorum Ordinum exequutione ipſo Iure ſit ſuſpenſus. *Extrauag. cum deteſtabile de Simon.*

CA-

CAPVT TERTIVM.

ITa eſt execrabilis aliquorum ambitio, quod per infeſtas, & importunas mediatorum preces, aut Principum commendationes, (quæ per ſæpè Epiſcoporum animum torquent) Ordines, aut Beneficia non obtinuiſſe, quàm extorſiſſe potiùs plerumque dignoſcitur; & quod peius eſt, ſæpè numero accidit, quod minus idonei, & interdum omninò indigni ad Ordines, & Beneficia promouentur: Nos tot malis, tantiſque diſcriminibus occurrere volentes, præcipimus, vt pro quouis Ordine, etiam Clericalis Tonſuræ ſuſcipiendo, aut quocūq; Beneficio obtinendo Interceſſores, aut commendationes quæcumque etiam per Epiſtolas nullatenus adhibeantur, ſed per ſemetipſos, vel ſuos conſanguineos eorum pia, atque moderata deſideria Epiſcopo patefaciant, alioquin qui ſecus fecerit inhabilis ad Ordines, & Beneficia, quo ad Nobis placuerit, omninò reddatur.

CAPVT QVARTVM.

PLerumque accidit, quod multi Clericalem Tonſuram anhelant, & in virili ætate ad illam promoueri flagrant, flagitantque non quærentes, vt ait D. Bern. Spiritum, ſed lucrum, non ſeruire Chriſto, ſed ditari, & deliciari cum Patrimonio Chriſti: non vocati à Deo, ſed à Diabolo; vt huic ergo malo remedium præbeamus inherendo in partem primo Decreto ſextæ Synodi à Prædeceſſoribus noſtris emanato, præcipimus, vt nemo ſupra decimum quartum annum ad primam Tonſuram

ram accedat, qui ea litterarum notitia præditus nõ ſit, quæ ad minores Ordines ipſum idoneum faciat: Si verò annum vigeſimum expleuerit, ſciat nunquam fore initiandum, niſi illâ litteraturâ ſit munitus, qua ad Sacerdotium idoneus reddatur: Et inſuper niſi Iuramento perhibuerit ſe non ſæcularis Iudicij effugiendi, fraudandique collectas cauſa, Clericalem Tonſuram poſtulet, ſed vt Spiritu Dei ductus ad Sacros Ordines aſcendat.

Conc. Triden. ſeſſ. 23. c. 4.

CAPVT QVINTVM.

QVò diligentiùs item Clericalis diſciplinæ, religioſæque vitæ inſtitutis, ij, qui Clericali militiæ adſcribi volunt, imbuantur; hac noſtra Conſtitutione præſcribimus; nullum ad Clericalem militiam fore promouendum, niſi ab ineunte pene ætate, hoc eſt, ab Infantia quiſque Clericalem habitum ſaltem per biennium ante Tonſuram de noſtra licentiá geſtauerit, Eccleſiam frequentauerit, ac functiones, quas Clerici obeunt, ipſe obierit: Tùm vt paulatim Clericalis vitæ officijs obeundis, & laboribus ſuſcipiendis aſſuefiat, tùm etiam, vt diſcat, quod vitæ genus ſi ad ordines promoueri intendit ſequi debeat; proindeque de ſuo ſtatu maturiùs ante deliberet. *Act. Mediol. Eccleſ. Conc. Prou. 4. tit. quæ pertinet ad Sacr. Ord. pag. mihi* 141.

CAPVT SEXTVM.

AD Subdiaconatus Ordinem nullus aſſumatur, niſi quem Patrimonium ad vitam honeſtè

ſubſten-

ſuſtentandam certiſſimè conſtet poſſidere: Donationes verò, quæ Patrimonij aſſignandi cauſa fieri ſolent, non niſi à Notario Noſtro, vel alio à Nobis deputando recipiantur, cui, teſtimonio duorum teſtium omni exceptione maiorum, liquidò conſtent bona illa, quæ donantur, aut in Patrimonium adducuntur ſine aliqua controuerſia à donante, ſiue ab ipſo promouendo poſſideri: Illoſque prætereà non eſſe ære alieno ita grauatos, vt dubitari aliquãdo poſſit, nè bona illa Patrimonialia euictionis, aut anterioris crediti Iure ab aliquo repetantur: Clericus inſuper promouendus Iuramento perhibeat, Patrimonium illud verum eſſe, & reale, ac ſecluſa omni fraude poſſidere.

CAPVT SEPTIMVM.

VT fraudes, fictiones, colluſioneſuè, quæ interdum, imò plerumque (ni fallor) in Conſtitutione talium Patrimoniorum contingere ſolent, pro viribus eliminentur, præcipimus, ac diſtrictè mandamus, vt poſtquam poſſeſſio vera, & realis fuerit per Clericum promouendum iurata, ac per Teſtes, vt ſupra, probata, bona ipſa in folio deſcribantur, eaque à Parochis inter Miſſarum ſolemnia tribus diebus feſtiuis in concurſu Populi publicentur, iuxta formulam à Nobis inferius inſerendam, ac in valuis Parochialis Eccleſiæ folium ipſum affigatur, & per dies decem affixum detineatur, vt ſi qua fraus, vel fictio interceſſerit, faciliùs pateſiat, cuius affixionis atteſtatio, per Parochum facienda, inter alia requiſita Nobis producatur.

CÆterùm ſi quis Patrimonio falſo, vel ficto in totum, aut in partem ad Subdiaconatus Ordinem aſcendere præſumpſerit; vltra pœnam falſi, ſuſpenſionem ab Ordinis ſuſcepti exercitio ipſo facto incurrat. Parentes verò, aut alij, qui bona fictè donauerint, vel ceſſerint, Excommunicationis ſententiam ipſo facto ſubeant, à qua abſolui minimè poſſint, niſi Promoto verum, ac liquidum aſſignauerint Patrimonium.

ANNOTATIONES.

Clericus, qui ſine Patrimonio Ordinatur, nullam pœnam incurrit, quia nulla pœna à Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 2. cap. 2. contra ſic Ordinatos imponitur, ſed innouatur tantum pęna in cap. Cum ſecundum Apoſtolum de Præbendis comminata videlicet, quod teneatur Epiſcopus ſic Ordinato ſubuenire, & vitæ neceſſaria prouidere.

Et licèt *Nauarr. Conſ.* 14. *nu.* 4. de temporibus Ordinationum, & quamplurimi apud *Gau. de Benef. part.* 2. *cap.* 5. *nu.* 24. probabiliter, imò cum maximo fundamento ſenſerint per Sac. Concilium Trid. non ſolùm innouatam fuiſſe pęnam citati Capituli cum ſecundum, verum etiam, & pęnam cap. neminem, & cap. Sanctorum diſt. 17. in quibus contra ſic Ordinatos pęna ſuſpenſionis præſcribitur, & imponitur; Sacra Congregatio tamen Conc. Trid. interpres cenſuit per Concilium ipſum innouatam fuiſſe dumtaxat pęnam cap. cum ſecundum videlicet, quod Ordinatus

nullam

nullam pęnam incurrat, ſed tantum Epiſcopum cogendum eſſe illius vitæ neceſſaria prouidere, ita *Gonzal. in reg.* 8. *Cancell. Gl.* 5. §. 10. *nu.* 22. *Garz. vbi ſupra, nu.* 27. *qui nu.* 29. declarationem Sacræ Congregationis tranſcribit.

At ſi Clericus decipiendo Epiſcopum cum ficto Patrimonio Ordinatus fuerit, & Epiſcopus diligentiam adhibuerit ad omnem fraudem, fictionemque eliminandam, tunc ipſe Clericus cum ſic ficto, vel non ſufficienti Patrimonio ad Sacros Ordines promotus, ab executione Ordinis ſuſcepti remanet ipſo Iure ſuſpenſus; Et Epiſcopus, qui non fuit in culpa, illum alere minimè tenetur, ne ſine culpa puniatur, & Clericus ex ſuo dolo commodum reportet, ita *Nauar. vbi ſupra, Enriq. lib.* 13. *de excom. cap.* 37. *nu.* 2. *Quar. in Summ. Bull. verb. Ordo, verſ. tertius caſus eſt*. *Garz. vbi ſupra, nu.* 34. imò ſi in Ordine ſic malè ſuſcepto miniſtrare præſumpſerit, efficitur irregularis, vt ait *Quar. vbi ſupra*, & adhuc Beneficia, per ipſum antea obtenta, ipſo Iure vacabunt, dicit *Garz. in reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 15. *num.* 125. & ita ſancitum fuit per Conſtit. Sixti V. quæ incipit, Sanctum ſalutare, ſub die 9. Ianuarij 1588. Cuius ſuſpenſionis abſolutio reſeruata eſt Summo Pontifici, & in ipſa Conſtit. inhibetur, vt Clericus ſic Ordinatus, neque per Iubilæum à ſuſpenſione abſoluatur. Vide *Garz. vbi ſupra, nu.* 34. *& ſeq.*

***

De Matrimonio.

CAPVT PRIMVM.

MAtrimonium, quod vſque ab ipſo Mundi exordio à Deo fuit ſanctiſſimè inſtitutum, & a Chriſto Domino Noſtro poſtea in Sacramentum eleuatum, vt ea religioſa animi pręparatione à fidelibus tractaretur, quam ratio, & ſanctitas tanti Sacramenti exigit; Propterea Parochis præcipimus, nè Coniuges niſi confeſſos ad hoc Sacramentum admittant, illiſque non alibi, quam in Eccleſia, & de mane Parochi tantùm aſſiſtant, vt in Miſſa de more Eccleſiæ pro benedictione celebranda, Sacra Communione refici poſſint.

Act. Med. Eccleſ. Concil. Prou. 2. tit. 1. dec. 28. & Côcil. Prou. 3. fol. 103 verſic. Matrimonium.

CAPVT SECVNDVM.

PRæterea Coniugibus fidei rudimẽtorum ignaris tamdiù Parochi ſuam aſſiſtentiam differãt, quamdiù hęc eadem ipſos addidiciſſe dignouerint.

CAPVT TERTIVM.

NOn ipſo die, quo vltima denunciatio de Matrimonio contrahendo facta eſt, ſed poſt tres ſaltem dies Matrimonium ipſum celebretur; vt ſi fortè alicui occurrat aliquod occultum impedimentum detegere, id pro exoneratione ſuæ conſcientiæ facere queat.

CA-

CAPVT QVARTVM.

QVi verò aliquod impedimentum, quod ipſe ſciuerit, detegere, ſeù denunciare noluerit, aut ſi falſum malitiosè impoſuerit, Excommunicationem eo ipſo ſubeat.

CAPVT QVINTVM.

SI infra bimeſtre, ab vltima denunciatione facta de Matrimonio contrahendo computandum, Matrimonium ipſum non celebrari contigerit, denunciationes iam factas denuo repeti præcipimus, atque mandamus.

CAPVT SEXTVM.

SPonſis, poſt ſponſalia per verba de futuro contracta omninò ad Sponſarum domus, quo ad Matrimonium per verba de præſenti initum fuerit, etiam pro rebus licitis veritus ſit acceſſus; Qui autem contra fecerit, excommunicationi Nobis reſeruatæ eo ipſo ſubiaceat, renouantes Decretum aliàs à noſtris Prædeceſſoribus emanatum, & hactenus in hac noſtra Diçceſi practicatum, quod in futurum ad vnguem obſeruari ſub eadem pœna mandamus.

CAPVT SEPTIMVM.

IN ſtatutis illis temporibus, quibus Nuptiarum celebritas à Sac. Conc. Trid. interdicta eſt, Matrimonia nè contrahantur ſine noſtra licentia;

Noſtrum enim eſt, an tunc ſint celebranda, & quibus conditionibus adhibendis, inſpicere; Parochi, qui contra fecerint, graui pœna plectentur.

TITVLVS VIGESIMVS SECVNDVS.

De Cohabitatione Virorum, & Mulierum.

CAPVT PRIMVM.

EX legitimis cauſis mentem noſtram iuſtè mouentibus Edicto generali iam promulgato præcipimus, nè Parentes permittant eorum filios, & filias in eodem Thoro ſimul concubere, ſub pœna Excommunicationis, cui ſubiaceant tàm ipſi parentes, quàm ijdem filij & filiæ; hoc eſt, inter ſe fratres, & ſorores, & multo magis, ſi remotiori conſanguinitatis gradu coniuncti fuerint, dum ad duodecimum ętatis annum peruenerint. Hoc idem Edictum hac noſtra Conſtitutione confirmamus, & in ſuo perpetuo robore permanere decernimus, atque ſancimus.

TITVLVS VIGESIMVS TERTIVS.

De Dignitate, & Maieſtate Ordinis Sacerdotalis.

TAnta eſt Dignitas Sacerdotalis, Maieſtas, ac Sublimitas (ait D. Ambroſ.) quod nulla poterit comparatione adæquari: Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quanta differentia eſt inter Solem, &

Lunam,

Lunam, tanta inter Sacerdotium, & Imperium. Alij ſunt termini Regni (dixit Chriſoſt.) alij ſunt Sacerdotij, ſed hoc illo eſt maius, nam Regi corpora ſunt commiſſa, Sacerdoti Animæ; quantò ergo Anima corpori præſtantior eſt, tantò eſt Sacerdotium Regno excellentius. Expende poteſtatem à Deo Regibus, & Sacerdotibus traditam, & videbis Sacerdotem multò ſublimius Rege ſedentem; Regis enim Thronus Terrenarum rerum ſortitus eſt adminiſtrationem; Thronus autem Sacerdotis in Cœlis collocatus de cœleſtibus negotijs habet pronunciandi authoritatem; Ad vocem Sacerdotis Animarum vincula diſrumpuntur, Cęli fores reſerantur, & filius Dei veluti in vtero Virginis in ſuis manibus Incarnatur; Hinc Iure merito exclamat D. Ephrem. Sacerdotium eſſe miraculum ſtupendum, Poteſtatem ineffabilem, Venerandum myſterium, Cęlum attingere, cum Angelis verſari. Cap. quis dubitet, & cap. duo, 96. diſt.

Proh dolor! & ætatis noſtræ infelicitas? dum genus humanum vanis Idolorum cultibus addictum, & Dæmonis fraudibus obcæcatum, verum omnium factorem neſciebat; quæ falſis illis Sacerdotibus, & Dæmonum miniſtris nō exhibebat oſſequia? Nunc autem Sacerdotes, qui Diuinis miniſterijs ſunt adſcripti, & Dei vices gerunt in Terra, non modo Principibus, ſed à quolibet de Populo debito deſtituuntur honore; & quod execrandum eſt, contemnuntur, & in vilioribus miniſterijs mancipantur. Vnde hoc Nobis accidit? id non tàm deprauatorum hominum vitijs, quàm Clericorum contumaciæ adſcribendum eſſe, Diuinæ Litteræ teſtantur. Et nunc ad vos mandatum hoc, ò Sacerdotes, ait Dominus per Malachiam, Qui receſſiſtis Mal cap. 2.

ſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in Lege : Irritum feciſtis pactum Leui : propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles in omnibus Populis. Alia ergo ratio quærenda non eſt, quare nunc Sacerdotalis Ordinis Maieſtas in tantum viluit.

CAPVT PRIMVM.

VT igitur tot, tantiſque malis pro viribus occurramus Sacris Canonibus, Concilijs generalibus, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus inherendo diſtrictè præcipimus, nè Clerici *A* Sacris Ordinibus initiati, alicuius Principis, ſiuè cuiuſuis Laici, quauis dignitate præditi Procuratores, aut negotiorum geſtores ſint; Ne vt parum Ordinis, ac Dignitatis ſuæ memores, in eorumdem Principum, atque Laicorum famulatu, ſiuè quibuſuis alijs obſequijs in quocumque vllo munere, aut officio obeundo; vel quacumque cauſa illorum Domi, foriſue, niſi in ijs, quæ ab Eccleſiaſtico ordine non ſunt aliena, neque indigna, abſque noſtra licentia in ſcriptis obtenta, & ſingulis annis renouanda operam ſuam nauent. Inſuper nè præcurſores, aut Aſſeclæ *B* fæminarum ſint; neue illis diſcumbētibus aſſiſtant, aut ancillentur; ijs autem, qui actu in prædictorum Domibus degunt, edicimus, vt dimiſſa hac Synodo, poſt menſem ab illis Laicorum Domibus abeant, niſi litteris noſtris eis permiſſum erit iuſta cauſa perſeuerare.

Qui contra fecerit, ab ordinis ſui munere ſit ipſo Iure ſuſpenſus, quo ad Nobis placuerit; Laici verò quicumque Excommunicationis ſententię ipſo facto ſubiaceant. *Cap. 4. de Offic. Ord.*

A Cap.

A *Cap. 1. & cap. Sacerdotibus 2. Ne Clerici, vel Monaci Sæcularibus negotijs ſe immiſceant. Cap. 1. & Cap. placuit. 2. quæſt. 3.*

B *Acta Mediolanenſis Eccleſiæ Conc. Prou. 1. tit. de negotijs Sæcularibus à Clerico fugiendis, fol. mihi 20. & Syn. Diœceſ. 2. dec. 27. fol. 341.*

CAPVT SECVNDVM.

SIcut Sacroſancta Tridentina Synodus nimis contriſtatur de aliquibus Epiſcopis, qui ſui ſtatus obliti cum Regum Miniſtris, Regulis, atque Baronibus indecenti demiſſione ſe gerunt, eiſque nimis indignè locum cedunt: Ita & Nos non poſſumus non grauiter dolere, & gemere audientes, & videntes in hac miſera tempeſtate Sacerdotes, qui ſuæ Dignitatis immemores cum quolibet de Populo, qui aliquo Dignitatis, aut Nobilitatis gradu præfulgeat, vel Diuitijs ſit præditus non ſolùm indecenter ſe gerunt, & locum cedunt; ſed etiam illis inſeruiunt: Quare vt huic malo etiam pro viribus remedium præbeamus Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ſignanter Epiſtolæ Gregorij Papæ VII. ad Hermanum, quæ incipit: Quis dubitet, inhærendo præcipimus, nè vllus Sacerdos ſub eadem pœna in ſuperiori Decreto ſtatuta, cuicumque Laico, etiam ſi decoratus Laurea, aut quouis Nobilitatis fulgore præfulgeat (dummodo non ſit Dominus Loci) locum, ſeù vt dicitur dexteram manum tàm in Eccleſia, quàm extra cedere præſumat; Sed vbique omnium fidelium Patres, & Magiſtros ſe eſſe meminerint; Laici verò, qui ſibi cedi quomodocumque patiantur ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo Iure interdicti remaneant. Seſſ. 25 cap. 1.

REgulos verò, atque huius Noſtræ Diœceſis Dominos,& Barones in Domino monemus, & per Viſcera Domini Noſtri Ieſu Chriſti paternè conteſtamur, ne ipſi ſedentes Præsbyteros ante ſe ſtare,aut eoſdem ad audientiam detecto capite excipere permittant, atque patiantur, ſed memores ſint, quod Sacerdotes Chriſti, Regum, & Principum,omniumque fidelium Patres,& Magiſtri cenſentur; Itemque meminerint Oraculi Chriſti Domini dicentis: Qui vos ſpernit, me ſpernit; ideoque vt Chriſto obtemperent, eius Miniſtros paterno honore,ac reuerentia Sacerdotali muneri debita proſequantur.

GREGORIVS PAPA VII.

Ad Hermanum Epiſcopum Metenſem, diſt. *96*.

QVis dubitet Sacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magiſtros cenſeri: Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur,ſi Filius Patrem, Diſcipulus Magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere, a quo credit non ſolùm in terra, ſed etiam Cęlis ſe ligari poſſe, & ſolui?

ALLEGATIONES.

Si Dignitas Sacerdotalis eſt apex omnium bonorum, Sacerdotes negligere erit iniquitas maxima,& omni animaduerſione digna. Hinc retunditur

ditur ſuperbia eorum, qui Sacerdotes ex humili genere natos aſpernantur: Non enim, ait D. Carolus Borromęus, Sacerdotalis Dignitas à perſona eorum, qui illam obtinent, ſiuè obſcuro loco, ſiuè humili genere nati ſint, ſed ab officij munere, adminiſtrationeque pendet. Nec propterea illos æſtimandos eſſe, quatenus homines ſunt, ſed tanquam diſpenſatores Myſteriorum Dei; Quorum omnis adminiſtratio illis commiſſa ad Populi ſalutem, & perpetuam vtilitatem ſpectat. Hæc ille.

Vt ergo Sacerdotibus debitus honor exhibeatur; Iure merito potuimus fideles noſtræ dictioni ſubiectos cenſuris compellere, vt Miniſtros Altiſſimi paterno honore proſequantur; Neque gratis, & proprio Marte hoc fecimus, ſed ſuffulti auctoritate Concilij Matiſconen: Cuius Decretum tráſcribitur ab eodem Sanctiſſimo Antiſtite Borromęo, & eſt infraſcriptum.

Statuimus, vt ſi quis quempiam Clericorum honoratorum in itinere obuium habuerit, vſque ad inferiorem gradum honoris veneranter, ſicut condecet Chriſtianum illi colla flectat, per cuius officia, & obſequia fideliſſima Chriſtianitatis Iura promeruit. Et ſiquidem ille Sæcularis equo vehitur, Clericuſque ſimiliter; Sæcularis galerum de capite auferat, & Clerico ſinceræ ſalutationis munus adhibeat: Si verò Clericus pedes graditur, & Sæcularis vehitur equo; illico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto Clerico ſincerę charitatis exhibeat; vt Deus, qui vera Charitas eſt, in vtriſque lætetur. Qui verò hæc, quæ, Spiritu Sancto dictante, san- Apud Act. Mediol. Eccl. p. 4 fol 548.

cita ſunt tranſgredi voluerit, ab Eccleſia, quam in ſuis Miniſtris dehonorat, quamdiù Epiſcopus illius Eccleſiæ voluerit, ſuſpendatur.

TITVLVS VIGESIMVS QVARTVS.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

CAPVT PRIMVM.

SAcroſancta Tridentina Synodus probatæ eorum vitæ, ac ſanctæ conuerſationis exempla, qui ſe Diuino miniſterio dedicarunt, præter Sacri Inſtituti neceſſitatem ad vniuerſam quoque Chriſtiani Populi reformationem plurimum prodeſſe intelligens certas officiorum vias, rationeſque præſcripſit, quibus intelligerent ſe cum in Dei militiam adſcripti ſunt non ad commoditates, aut voluptates, ſed ad labores, & ſollecitudines vocatos eſſe: Nos igitur eiuſdem Sac. Conc. Trid. iuſſa exequi cupientes, omnes Eccleſiaſticos Noſtræ ditioni ſubiectos, in Domino obteſtamur, ne à recta viuendi via, & ab officij ſui ratione deflectant, ſed quiſque ſtudeat, quaſcumque etiam minimas, ſcandali dandi occaſiones deuitare; imò factis etiam, ac vitæ actionibus, quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, ſe muneri ſuo confoi mes oſtendant.

Seſſ. 25. cap. 1.

CAPVT SECVNDVM.

VT igitur cum Vitæ, & Clericalis animi integritate omnis conuerſatio congruat: Omnibus, & ſingulis, Sacris, & Minoribus Ordinibus, etiam

etiam Clericali Tonſura initiatis, ſtrictè præcipimus, vt à venationibus illicitis, ludiſque vetitis, comędijs, choreis, ſaltationibus, palęſtris, vaniſque alijs ſpectaculis adeò abhorreant, vt ipſis neque præſint, neque interſint. Poſt primam vigiliam noctis temerè per vias ne deambulent; quod ſi legitima cogantur cauſa, lumen præferant omnibus conſpicuum. Qui contra fecerit, pęnam ſcutorum quatuor locis pijs luant.

Denique quo ad Vitam, & Honeſtatem Clericorum ſatis cautum eſt à noſtris digniſſimis Prædeceſſoribus in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus, ac noſtro generali Edicto iam promulgato, quod quidem Edictum cum prædictis Conſtitutionibus Prædeceſſorum noſtrorum in ſuo robore permanere,& omninò obſeruari decernimus, atque mandamus.

CAPVT TERTIVM.

PRæcipit item Sacroſancta Tridentina Synodus, vt non omnes, qui in Clericali militia adſcripti ſunt, priuilegijs Clericalibus gaudeant: *A* Sed illi dumtaxat, qui beneficium Eccleſiaſticum habent, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferunt, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiunt; Et quidem non habitum ad eorum placitum præſcribendum. *B* Sed honeſtum, & Clericali Ordini congruentem, iuxta Epiſcopi Ordinationem. At hodie tanta inoleuit aliquorum temeritas.& Religionis contemptus,quod in habendis temporalibus (vt ait D. Bern.) ſunt vt Laici; in habendis Præbendis ſunt vt Clerici: In Plateis ſunt vt Milites: In veſtimentis ſunt vt Mulieres;

Ideoque

Ideoque vt tot malis occurramus eidem Sac. Trid. Concilio, & Apoſtolicis Conſtitutionibus inhærendo, decernimus, & declaramus illos Clericos dumtaxat priuilegio fori gaudere, qui comam non relaxauerint, ſed attonſo capite patentibus auribus veſtem talarem induerint. C Quod ſi quis poſt menſem, dimiſſa hac Synodo, huic Decreto non paruiſſe compertum fuerit, ſtantibus alijs Monitionibus generali Edicto adhibitis ad præſcriptum Conſtitutionis Sixti V. quæ incipit. Cum Sacroſancta, beneficio, quod poſſident, & priuilegijs Clericalibus omnes priuabuntur.

A *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6.*
B *Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. Barboſ. in d. cap. 6. ſeſſ. 23.*
C *Cap. non liceat, diſt. 24.*

CAPVT QVARTVM.

Ad ſuam quiſque Clericus mentem reuocet, quod bonus odor Chriſti ſumus, ſatagant ergo, vt omnes eorum actiones ſanctitatem redoleant: Vita ſit irreprehenſibilis, inceſſus non feſtinus, ſed grauis, & modeſtus, ſæcularium intrinſecam conſuetudinem, eorumque conuiuia effugiant, per Plateas, & vias otioſi nè vagentur, in Officinis, vbi potiſſimùm vaniloquia, ſcurrilitates, & ſępè iurgia non ſine grauiſſima Dei offenſa exoriuntur, nè diù commorentur.

In inferioribus veſtimentis alium colorem, quam nigrum, vel fuſcum, ſeù obſcurum non adhibeant, ita pariter in Caligis camiſias ad manus, criſpas ad collum geri vulgo à mappe, prout, & ſericas ligu-

las, quamuis nigras tùm ad manus, tùm ad collum omninò vetamus: In omni denique veſtitu tàm concinnitatem, & elegantiam, quàm ſorditatem caueant. Qui in aliquo horum deliquerit, præter veſtium amiſſionem pœna, ſex aureorum locis pijs applicandorum mulctetur.

TITVLVS VIGESIMVS QVINTVS.

De Funeribus, & Sepulturis.

CAPVT PRIMVM.

Inter cætera pietatis opera illum magis vt præſtantiùs elucet, quod erga Vita functos geritur. Chriſtiana pietas non tantum elucet erga proximũ, dum inter viuos eſt, quantum erga eos, qui ad Mortuos migrauere: Quanto enim grauiùs eſt in Mortuos ſęuire, tãto eſt laudabiliùs ſuper illos Misereri. Hinc præſenti noſtra Conſtitutione educimus, vt pauperum cadauera gratis omninò, & cum omni animi pietate, & hilaritate ſepeliantur. Quo ad reliquos verò Defunctos illud ſtipendium pro Iure funerum ſeruetur, quod ex antiqua, & laudabili conſuetudine taxatum reperitur; ac per Nos in Sancta Viſitatione in qualibet Eccleſia præſcriptum: Caueant tameu Parochi, aut alij quicumque, ne pro mercede non conſequuta Cadauerum ſepultura retardetur; aliàs grauiſſimis pœnis arbitratu noſtro plectentur. Semper autem cum eleemoſyna recipi poteſt, omninò ab omnibus recipiatur, eamque donari vetamus, nè Defuncti Anima illius oblationis ſuffragio priuetur.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

VNusquiſque in propria Parochia ſepeliatur, niſi alibi sepulturam elegerit, ad cuius electionem probandam duo ſaltem teſtes fide digni adhibeantur, nec ſolius Confeſſarij atteſtationem ſuffi:ere decernimus, niſi eius probitas, vel alijs circumſtantijs concurrentibus aliter dijudicare expedierit. *A* Peregrini autem, & Aduenæ per Diœceſim in Parochiali, per Ciuitatem verò in Cathedrali ſepeliantur.

A Gen. in prax. Archiep. Neap. cap. 74. *nu.* 8.

CAPVT TERTIVM.

EOrum, qui de repente, vel violenta morte decedunt, non humentur cadauera ante viginti quatuor horarum ſpatium. Eorum verò, qui morbo moriuntur, ante duodecim horas ſepulturæ ne tradantur; Nunquam autem ante Solis ortum, vel eiuſdem occaſum ſine noſtra, vel Vicarij noſtri licentia in ſcriptis obtenta. Inſuper dum Miſſa ſolemnis celebratur non inferantur cadauera in Eccleſia ſepelienda.

CAPVT QVARTVM.

OMnes Sacerdotes ſtatim, ac notitiam habuerint Epiſcopum ſuum obijſſe diem, Officium, & Miſſam pro eius Anima celebrent, etiam ſi extra Diœceſim, aut illa dimiſſa, diem clauſerit extremũ; Cæteri verò Clerici, Diaconi, & Subdiaconi recitent

citent duplex Defunctorum Officium. Parochi Populos de obitu communis Paſtoris moneant, illoſque hortentur, vt pro eius Anima deuotas Deo preces effundant.

CAPVT QVINTVM.

CVm non ſine magno animi noſtri mærore audierimus Arcas depoſitorum cadauerum, abiectis ipſorum oſſibus, è ſepulturis extrahi, illas alijs vendendi cauſa; ideò ad hanc auaritiæ, & impietatis ſpeciem eliminandam, præcipimus ſub pęna Interdicti Eccleſiæ eo ipſo, ne huiuſmodi Arcæ, per biennium à die depoſitionis Defuncti, extrahantur.

CAPVT SEXTVM.

CVm ſæpènumerò contingat electiones ſepulturæ potiùs per ſuggeſtiones, & infeſtas perſuaſiones à Defunctis extorqueri, quam ab illis vltrò eligi; ideò ad omnes fraudes eliminandas, pręcipimus, vt ſolis Parochis, vel eorum Subſtitutis ſit permiſſum infirmos interrogare de ſepultura, quam velint eligere, dum ad illos Sacram deferunt pro Viatico Sinaxim, & hoc coram duobus teſtibus faciant, ſi id tempus, & opportunitas permittat.

CAPVT SEPTIMVM.

VIſitationes condolentium in obitu cuiuſuis perſonæ ab eius conſanguineis, affinibus, vel amicis vltra octo dies ſub pęna Excommunicationis ne admittantur, cum in ſimilibus congreſſibus

potius murmurationes, & detractiones fieri compertum eſt. Abuſum pariter vocandi Mulieres ad laudandum Defunctum, plorandum, & vociferandum, quatenus in hac noſtra Diœceſi inoleuerit, vt ſuperſtitioſas Gentilitatis reliquias ſub eadem pœna obnixè interdicimus: Mandantes Parochis, vt hoc Decretum ſæpè Populo denuncient.

CAPVT OCTAVVM.

Regulares, atque Confraternitatum ſodales, qui ad funera ducenda fuerint vocati in Cathedralem, aut Parochialem Eccleſiam conueniāt; indeque ad ædes Defuncti proceſſionaliter ſe conferant, quod ſi ante egreſſum ab Eccleſia non interfuerint, liberum ſit inuitantibus ſolitam dare, vel denegare eleemoſynam.

Cadauera è domibus Defuncti ne extrahantur, niſi Parocho præſente, aut conſentiente, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda.

CAPVT NONVM.

Ne ſepulturæ locus quouis nomine cuiquam detur, neque noua ſepulchra conſtruantur in vlla quauis Eccleſia, ſine noſtra ſpeciali licentia in ſcriptis obtenta; in Choro autem, vel Præsbyterio nullo modo, nec propè Altaria, niſi tam longe à ſcabello, ſeù Altaris Pradella trium ſaltem cubitorum procul diſtēt, quæ verò propriùs extructa iam fuerint omninò amoueri, obſtruiue in Sancta Viſitatione decreuimus, & nunc decernimus.

TITVLVS VIGESIMVS SEXTVS.

De Proceſſionibus.

CAPVT PRIMVM.

CVM Proceſſiones vel ex conſuetudine, vel ex noſtra inditione fieri contingerit, præter, ea quæ Ceremoniali,& Rituali Romano diſponuntur, Statuimus, vt Clerici omnes tàm Sæculares, quàm Regulares,ſodalitatumque Confratres, qui hactenus conuenire conſueuerunt, ſeù de Iure quomodolibet tenentur ; ſtatuta hora ad Eccleſiam Cathedralem,vel ad eam,vnde incipit Proceſſio, conueniant,ibique certo loco taciti conſiſtant, neque per Eccleſiam vagentur, ſed orationibus vacent, donec ſolemni Sacro peracto ſuus cuique tribuatur procedendi locus. Qui huiuſmodi Proceſſionibus intereſſe neglexerint pena vnius libræ ceræ albæ elaboratæ mulctentur. Pro abſentibus autem reputabũtur ij, qui ante egreſſum ab Eccleſia non interfuerint, quod ſi Regularibus contingat in funeralium Proceſſionibus, liberum ſit hæredibus Defuncti ſolitam dare, vel denegare eleemoſynam.

CAPVT SECVNDVM.

QVo ordine ab Eccleſia egreſſi ſunt, eodem ad eamdem regrediantur,nec inde,expleta ſupplicatione, quiſque diſcedat non expectata benedictione.

CAPVT TERTIVM.

ECcleſiarum Capita vna cum Cęremoniarum Magiſtro ſedulò incumbant, vt Proceſſiones rectè cum modeſtia, & grauitate dirigantur; Et quatenus opus fuerit tres, vel quatuor ex Clero deputabunt, qui ordini ſeruando diligenter aſſiſtant, ac inuigilent, vt riſus, colloquia, & confabulationes omninò vitentur. In illis ſupplicationibus, quæ ex rubrica fiunt, vel in quibus Sacræ Reliquię circumferuntur, omnes aperto capite incedant. Dum verò Sanctiſſimũ Chriſti Corpus defertur, etiam Pileolum interdicimus. Qui contra fecerint, vt abſentes, mulctentur.

Crucem ante Proceſſiones non permittant per alios efferri, quam per Clericos veſte talari, & ſuperpelliceo indutos, quod etiam in funeralium Proceſſionibus ſeruari omninò iubemus.

CAPVT QVARTVM.

QVidam irrepſit abuſus, vt in Proceſſionibus aliquando fiant nonnulla ludrica, ſiuè ſpectra, & ſpectacula, quæ irreuerentiam, & riſum mouent; ideò hęc omnia diſtrictè ſub graui pęna infligenda omninò interdicimus.

CAPVT QVINTVM.

NVllus Laicus, cuiuſcumque gradus, vel ætatis ſit, Proceſſioni ſe immiſceat, ſed omnes à Mulieribus ſegregati Proceſſionem ſequantur, aut genuflexi, vel ſtantes illam ſpectent: Clerici verò

cuiuſ-

cuiuſcumque ordinis, ſi pueros, aut Nipotes, dum proceſſionaliter incedunt, duxerint, vt abſentes à Magiſtro Cęremoniarum, vel Deputatis punctentur; Neminem per viam ſalutent, ſed cum graui inceſſu, ac piè procedant, ita vt eorum corda vocibus ſint conformia, ne Dominus iuſtè conqueratur: Iſti labijs me honorant, cor autem eorum longe eſt à me.

CAPVT SEXTVM.

PRoceſſiones noctis tempore ſine noſtra licentia omninò interdicimus, ita inchoentur, vt, quando pulſatur ſignum ſalutationis Angelicę veſpertinum, prorſus ſint abſolutæ.

CAPVT SEPTIMVM.

AB innumerabili tempore conſueuerunt ſodalitates huius Noſtræ Ciuitatis Proceſſiones peragere ſingulæ in ſingulis diebus Quadrageſimæ per orbem, quæ conſuetudo cum ſit laudabilis, ideò illam confirmamus, & omninò ſeruari mandamus ſub pęna arbitrio noſtro infligenda.

CAPVT OCTAVVM.

REgulares, vel ſodalitates in eorum Eccleſijs erectæ, Proceſſiones ſine noſtra licentia ne peragant, niſi intra eorum Conuentuum Clauſtra, ſi ea habuerint, aliàs per earumdem Eccleſiarū ambitum, ſub pęna Interdicti quoad Regulares, & Excommunicationis quoad Sodales, ſiuè Confratres interuenientes. Non intendimus tamen in hoc

De-

Decreto comprēhēdere Patres Dominicanos, dum peragunt Proceſſionem Sanctiſſimi Roſarij.

TITVLVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

De Cancellaria, & Tribunali Epiſcopali.

CAPVT PRIMVM.

SI quis adeò temerarius fuerit, vt Iuriſdictionem noſtram impedire audeat, ſiuè præcepta, litteras, & mandata à noſtra Curia emanata, quo minus præſentari, aut executioni mādari poſſint, & Notarios, Nūcios, vel Curſores, ne officium à Nobis, & à noſtra Curia, aut à Vicarijs noſtris Foraneis iniūctū obire valeant, directè, vel indirectè per ſe, vel per alios impedire, perturbare, vel detinere authoritate Laicali præſumpſerit, ſciat ſe cuiuſcumque gradus, & dignitatis extiterit, tanquam Eccleſiaſticæ Libertatis violatorem Excommunicationis pęnam ipſo Iure, aliaſque ſeueriſſimas pœnas incurriſſe.

CAPVT SECVNDVM.

SI fortè aliquis Clericus Clericalem habitum dimittere, & Clericatui renunciare intendat, Vicarius Noſter Generalis libenter illum admittat, excepta tamen ab ipſo obligatione, præuio Iuramento firmanda, de eodem habitu amplius non reaſſumendo abſque noſtra licentia, ſub pęna amiſſionis priuilegiorum Clericalium.

*** CA-

CAPVT TERTIVM.

AVaritiæ labes, quæ ab omnibus Iudicibus abeſſe debet, à foro Eccleſiaſtico eſt ita euellenda, vt nec de ſuſpicione quidem poſſint Officiales noſtri redargui, ſed in eis potiùs omnis animi pietas, & manſuetudo eluceat: A muneribus ergo, quæ adhuc prudentium mentes excæcant, ac verba ſubuertunt, omninò Officiales prædicti ſe abſtineant; Taxam emolumentorum in publico loco appenſam detineant, ita vt omnibus pateat, & nihil vltra illam ſub pœna Excommunicationis latę ſententiæ exigant. Cauſæ autem Pauperum gratis expediantur.

CAPVT QVARTVM.

INſuper dum Notarij, Actuarij, ſeù alij quicumque Commiſſarij ab hoc noſtro Tribunali delegantur pro informationibus capiẽdis, teſtibus examinandis, aut alijs quibuſuis cauſis ad inſtantiam Fiſci pertractandis, nullum grauamen, aut incommodum Capitulis, vel Cleris Locorum, vbi delegationes ſunt explendæ afferant, neque victualium expenſas exigere præſumant, imò potiùs ab omni munere recipiendo prorſus abſtineant. Pro Depoſitis, quæ interdum in Curia fieri ſolent, nihil omninò recipiatur.

CAPVT QVINTVM.

VT Cauſæ quàm citius expediantur, præcipimus Magiſtro Actorum, & Scribis Noſtræ

Can-

Cancellariæ, quod quaque die non feriata ſingulorum menſium in Cancellaria ipſa ſiſtere ſe debeant infraſcriptis horis, nempè: In menſibus Ianuarij, & Februarij mane hora 15. Veſpere hora 21. Martij hora 13. Veſpere hora 21. Aprilis hora 12. Veſpere hora 20. Maij hora 11. Veſpere hora 19. Iunij, & Iulij mane hora 10. Veſpere hora 19. Augusti hora 12. Veſpere hora 19. Septembris, & Octobris hora 13. Veſpere hora 20. Nouembris, & Decembris mane hora 15. Veſpere hora 21. Ibique continuè permaneant donec Curia regitur, nec abſque noſtra licentia, vel Vicarij Noſtri Generalis ab ea recedere poſſint.

Diebus verò ferialibus alternatim vnus eorum in Palatio Noſtro Epiſcopali eiſdem horis interſit; qui in præmiſſorum ſingulis defecerit pluries, ſuo officio priuabitur.

CAPVT SEXTVM.

ACta omnia, Proceſſus, Scripturæ, Inſtrumenta, aliaque documenta ad forum noſtrum quomodolibet pertinentia à noſtris Notarijs pro tempore conſcripta, vel conſcribenda in poſterum in Archiuio noſtri Palatij erecto ita conſeruentur, vt nō liceat Originales ſcripturas cuiquam ex Cancellarijs illas extra Cancellariam aſportare; vel aſportandas tradere ſub pœna Excommunicationis latę ſententiæ. Proceſſus nunquam partibus, ſed Procuratoribus dumtaxat de licentia noſtri Generalis Vicarij tradantur, quorum conſignatio adnotetur in Libro ad hunc effectum deputato, cum ſubſcriptione eorumdem Procuratorum, qui proprio cara-

caractere ſignent recipiſſe proceſſum tot foliorum nullo vitio affectorum. Librum ipſum ſemel in menſe Actuarius recognoſcat, vt pro reſtitutione ſcripturarum non reſtitutarum ſuo congruo tempore ſedulò incumbat.

CAPVT SEPTIMVM.

VIcarius autem Noſter habeat Librum, in quo adnotet omnes cauſas tàm criminales, quàm ciuiles, quæ in Curia vertuntur, ac dies, in quibus cęptæ ſunt, vt nullo habito perſonarum diſcrimine, ſed ſeruato ordine anterioritatis illas abſoluat. Bis in menſe viſitet carceratos, & quorum cauſas expediendas eſſe compererit, omni mora poſtpoſita illos expediat, ac pariter ſi illos victu indigere dignoſcat Nobis denunciet, vt eorum neceſſitati pro viribus valeamus occurrere.

CAPVT OCTAVVM.

NE Pauperes in Iudicio ob propriam inopiam indefenſi remaneant, & ſub potentium iugo miſerrimè gemere conentur, in eorum cauſis patrocinandis tùm in Tribunali Eccleſiaſtico, tùm Laicali, deputamus perilluſtrem, & pium V. I. D. Dominum Ioannem Bernardinum Manerium, qui ſi munus hoc hilariter ſuſcipiet, ac ſollicitè erga Pauperes illud obibit, certus ſit in die Iudicij à Patre Pauperum fore auditurum: Veni benedicte Patris mei, quia quod vni ex minimis fratribus meis feciſti, mihi feciſti.

In Procuratorem autem Pauperum, deputamus Reuerendum D. Ioannem Nicolaum Rizzo.

TITVLVS VIGESIMVS OCTAVVS.

De Regularibus.

CAPVT PRIMVM.

REgulares omnes ſciant olim à Sanctiſſimo Domino Noſtro Gregorio XV. fuiſſe reuocatas, & nullas, & inualidas prorſus declaratas quaſcumque electiones, nominationes, & deputationes quorumuis conſeruatorum eis authoritate Apoſtolica quomodolibet conceſſorum, ac conſequenter pro omnibus cauſis ciuilibus coram Nobis conueniendos eſſe pro comperto habeant; Niſi alium conſeruatorem ſibi elegerint, ſiuè in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, vel perſonatum obtinentem, vel aliquem ex Canonicis noſtræ Cathedralis, qui etiam in noſtra hac Synodo Iudex electus exiſtat, & aliàs iuxta formam Conſtitutionis ſuper hoc ab eodem Sanctiſſimo editæ, quæ incipit. Sanctiſſimus in Chriſto Pater, quàm in omnibus, & per omnia obſeruari mandamus.

Triden. ſeſſ 7. cap. 13.

CAPVT SECVNDVM.

NOn licèt Regularibus à ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad ſuos Superiores accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint; qui verò ſine prædicto mandato reperti fuerint à Nobis tanquam ſui Inſtituti deſertores ſeuerè punientur.

Trid. ſeſſ 25. cap. 4.

CA-

CAPVT TERTIVM.

NOn liceat item Regularibus extra eorum Cōuentuum clauſtra niſi binos incedere, alias præcipimus, vt à Curſoribus noſtræ Epiſcopalis Curiæ capiantur, & coram Nobis ducantur, vt eorum Superioribus puniendos tranſmittere valeamus.

TITVLVS VIGESIMVS NONVS.

De Monialibus.

CAPVT PRIMVM.

PRæcipit Sacroſancta Tridentina Synodus, vt Monaſterijs Monialium is numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui ex proprijs redditibus cuiuslibet Monaſterij poſſit congruè ſuſtentari. Attentis igitur, & maturè conſideratis redditibus Monaſterij Sanctæ Claræ huius noſtræ Ciuitatis Neritonen̄, ac redditibus Monaſterij Sanctiſſimæ Annunciationis Terræ Cupertini. Inhærendo tùm prædicti Sac. Conc. Decreto, tùm Conſtitutioni Beati Pij V. ſtatuimus in Monaſterio Neritonen̄ numerum Monialium ſexageſimum, in Monaſterio verò Terræ Cupertini numerum vigeſimum præſcribimus. Ita enim tenuitas huius Monaſterij reddituum præſcribere Nos impellit. Conuerſarum verò ſeruientium numerum in primo Monaſterio ad decem: in ſecundo ad quatuor reſtringimus. Ideoque præſenti Decreto inhibemus omnibus Abbatiſſis præſentibus, & futuris ſub

Seſſ. 25 cap. 3. de Regul.

pœna priuationis Officij,& alijs arbitrio noſtro imponendis,ne in poſterum dictum numerum in recipiendis Monialibus, & Conuerſis excedere audeant.

CAPVT SECVNDVM.

ABſque noſtra licentia in ſcriptis obtenta, nullus aut colloquutionis intuitu, ſiuè quouis alio prætextu ad Sanctimonialium Monaſteria accedat,ſiue eorumdem limina tranſcendat ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendę. Rectoribus tamen,aut Monialium Cappellanis concedimus facultatem, vt aliquando ad Monialium ſolatium Mulieres honeſtas,vel etiam viros intra ſecundum conſanguinitatis gradum coniunctos ad earumdem colloquutionem admittant, dummodò hac permiſſione non vtantur in tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, ac dum in Eccleſia Diuina Officia perſoluuntur.

CAPVT TERTIVM.

IN Sancta Viſitatione prçcepimus,vt Monialium Eccleſiæ, atque colloquutoria ante Solis ortum non aperiantur, & poſt illius occaſum ſtatim claudantur; vt hoc Decretum in perpetuo robore maneat, hac præſenti Conſtitutione illud innouamus, & inconcuſsè ſub graui pœna, arbitrio noſtro infligenda, obſeruari mandamus.

***

CAPVT QVARTVM.

EOs, qui licentiam à Nobis habuerint colloquendi cum Sanctimonialibus, nunquam admittendos eſſe ad Crates intus Eccleſiam exiſtentes, etiam ſi cuiuſuis Dignitatis, aut Nobilitatis extiterint, pariter in Sācta Viſitatione præcepimus ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ, quam omninò in perpetuo robore permanere hac noſtra Conſtitutione decernimus, atque ſancimus.

CAPVT QVINTVM.

FEneſtrella, per quam Sanctimoniales Euchariſtia, reficiuntur claui firma penes Confeſſarium, vel Cappellanum aſſeruanda claudatur, nunquam aperienda, niſi dum Sacratiſſimi Chriſti Corpus miniſtratur. Qui per eam Moniales alloqui præſumpſerit in eandem excommunicationis ſententiam incurrat, in qua Confeſſarios non comprehendi declaramus.

CAPVT SEXTVM.

MEdici, Chyrurgi, aut alij quicumque, qui aliqua neceſſitate exigente noſtro peculiari ſcripto ſepta Monialium ſunt ingreſſuri, id ante Solis ortum, & poſt eius occaſum, & abſque comitatricibus deputatis minimè præſtent. Curabitque Abbatiſſa, vt ante eorum ingreſſum aliquot tintimnabuli pulſationibus Moniales præmoneantur, vt ſe ſe in Chorum, vel Dormitorium recipiant.

CAPVT SEPTIMVM.

VIſitationes condolentium in obitu cuiuſuis Monialis, aut eius affinis, vel conſanguinei in quocumque gradu conſanguinitatis coniuncti; etiam ſi Pater, aut Mater ſit, nullatenus tâm in Eccleſia, quàm in Collocutorio admittantur; non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium hactenus deducta, quam vt non laudabilem reprobamus; ipſaſque viſitationes ſub excommunicationis pęna interdicimus, atque prohibemus: Obliuiſcere Populum tuum, (Diuinum Oraculum Sacras Virgines afflatur) & Domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.

CAPVT OCTAVVM.

DAmnabilem conſuetudinem, qua Moniales noſtri Monaſterij Terræ Cupertini profeſſionem emittebant, remanente Dote in earumdem conſanguineorum manibus, à quibus eiſdem alimenta in dies ſuppetitabantur in Sancta Viſitatione eliminauimus; ipſaſque Moniales, Diuina fauente gratia, ad vitam communem amplectendam, earum verò conſanguineos ad dotem reſtituendam, & Monaſterio incorporandam ſuauiter compulimus; Ideoque vt tanta ſpiritualis pernicies procul abſcedat, obnixè præcipimus, ne in futurum vlla Puella ad habitum admittatur, niſi priùs dos fuerit in ære penes publicum Mercatorem, vel aliam perſonam fide, & facultatibus idoneam depoſitata, vt ſtatim profeſſione emiſſa in emptionem ſtabilium applicetur.

Sacra Congregatio in vna Luſitan. die 6. Iunij 1615. apud Barboſ. de Iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 44. nu. 30.
Dos in ære eſt ſoluenda, nec aſſignatio bonorum ſtabilium, aut cenſuum eſt permittenda, vt reſpondit eadem *Sacr. Cong. Epiſcopo Camerinen. ſub die 28. Martij 1588. apud eumd. Barboſ. vbi ſupra nu. 38.*

CAPVT NONVM.

SVmmorum Pontificum Conſtitutionibus, ac quam plurimis Sacræ Congregationis Decretis inhærendo præcipimus, vt cum Puellæ ad habitum Regularem, vel profeſſionem admittuntur abſque vlla pompa, cantu, vel ſumptu id fiat; nec liceat eadem occaſione aliquid poculenti, vel eſculenti, ſiuè aliquod quoduis munuſculum Prælato, Confeſſario, Officialibus, aut ipſarum conſanguineis elargiri; Si tamen illud edulium ita modici valoris ſit, quod pro vſu illius diei conſumetur vetitum non cenſeri, reſpondit Sac. Cong. ad petitionem Regis Catholici in vna Luſitan. die 6. Iunij 1615.

CAPVT DECIMVM.

INſuper præcipimus, vt nullatenus Monialibus liceat cibos exterius parare, pannos lauare, eſculenta vendere, quæ omnia ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſis diſtrictè interdicimus, ac vetamus.

✠✠✠

CA-

PVellæ, atque Nouitiæ ab vna tantum Magiſtra à Monialibus capitulariter, ſeù ab Abbatiſſa, & Superioribus, ad quas ſpectare conſuetum eſt, eligenda, regantur, & edoceantur, quod ſiqua Monialis prætextu conſanguinitatis de eis curam gerere præſumpſerit, priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ per annum incurrat. Cæterum omnia, quę in Sancta Viſitatione decernimus, hac noſtra Conſtitutione confirmamus, & ea in perpetuo robore permanere sancimus.

TITVLVS TRIGESIMVS.

De Adminiſtratione Bonorum Eccleſiæ.

CAPVT PRIMVM.

SOlicitudo Eccleſiarum, quæ Paſtorem, & Epiſcopum quieſcere, & dormire non ſinit, non tantum continet ea, quæ ad ſpiritum, animarumque ſalutem pertinent, ſed & illa etiam, quæ Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem reſpicit: niſi enim harum rerum ſedulò Rectores ſatagant, vel omninò peribunt, vel ſaltem pro magna parte in deterius abibunt: Eccleſiarum ideò, Menſæ Capitularis, Hoſpitalium, aliorumuè piorum locorum Rectoribus, Procuratoribus, atque Miniſtris diſtrictè præcipimus, corũq; conſcientiam obnixè grauamus, vt agrorum, vinearum, aliorumuè ſtabilium culturis apprimè incumbant. Negligentes autem vltra diſtrictam rationem, quam Supremo Iudici

redditurí ſunt ad omne damnum (quod ex eorum culpa obuenerit) proprijs viribus reficiendum compelli mandamus, atque iubemus.

CAPVT SECVNDVM.

VT in diuiſione fructuum, atque reddituum ex maſſa communi menſę Capitularis inter Canonicos facienda nulla fraus prorſus intercedat, imò vt & omnis ſuſpicio procul abſcedat, mandamus, vt non per cedulas, ſed in numerata pecunia partes diſtribuantur.

CAPVT TERTIVM.

PLuries, & præcipuè in Sancta Viſitatione præcepimus, vt omnium bonorum, iurium, atque ſtabilium tùm menſæ Capitularis, tùm aliarum Eccleſiarum, Hoſpitalium, aliorumue piorum locorum cōficeretur Codex inuentarij cum adnotatione confinium, & inſtrumentorum enunciatione, ac creditorum (pro viribus) origine; Ideoque hac noſtra Conſtitutione confirmantes, Procuratoribus, Rectoribus, atque huius præſentis anni Miniſtris mandamus, vt, ſub pœna ſcutorum viginti quinque, & in ſubſidium Excommunicationis, quod circa inuentarium prædictum Decretum eſt, infra quatrimeſtre à die publicationis huius Decreti, omninò exequantur, & eius exemplum penes Capitulum, originale verò in noſtro Archiuio conſeruetur.

CAPVT QVARTVM.

ECcleſiarum bona Monaſteriorum Monialium, Hoſpitalium,aliorumue piorum locorum , ac illorum fructus , præuijs ſaltem tribus proclamationibus in locis publicis , & conſuetis , tribus diebus peractis , vel Edictis in eiſdem locis appoſitis ſubhaſta, candela accenſa,ab ipſarum Eccleſiarum Rectoribus,ipſorum locorum Procuratoribus , atque Miniſtris locentur,vel vendantur, vltimoque licitatori liberētur : Eiuſmodi ſolemnitatibus non adhibitis hæ locationes, & venditiones , quæ pro maiori pretio decem aureorum fiunt nullæ prorſus ſint,& inualidæ ; Si quis poſt has deliberationes maius pretium offerat, niſi illud ſextam partem pretij ab vltimo licitatore oblati excedat , & niſi hæc oblatio fiat ante menſem elapſum à die contractus,ea non admittatur.

CAPVT QVINTVM.

HÆ quoque locationes,ac fructuum venditiones pretij ſolutione , vel ipſorum fructuum quantitatis conuentæ quantitate dilata , non priuatis ſcripturis , ſed Inſtrumentis à publicis Notarijs, vel obligationibus penes acta alicuius Curiæ initis fiant, alioquin nullam etiam vim habeant,& venditores,& locatores contrauenientes à ſuis muneribus ſuſpendantur .

CAPVT SEXTVM.

ABuſus irrepſit huiuſmodi bona Eccleſiæ in dotem dari,hoc eſt in emphiteuſim, ad certum

tum

tum tempus determinatum meliorationis cauſa. Cui malo occurrere volentes prohibemus, ne inpoſterum hoc fiat ſine Epiſcopi expreſſa licentia in ſcriptis obtenta, ſub pęna caducitatis eo ipſo, ſalua prouiſione facienda de his bonis, quæ reperiuntur ſic conceſſa.

CAPVT SEPTIMVM.

IN quinta huius Diœceſis Synodo Excommunicationis mucrone feriuntur tàm emptores, quã venditores ſtabilium, aliorumque Iurium, quæ Eccleſijs, alijſuè locis pijs quomodocumque ſunt obnoxia, ſi ſcienter ea onera in Inſtrumentis venditionum reticuerint, vel in genere tantùm expreſſerint, hoc eſt, non ſpecificando Eccleſiam, aut pium locum, cui ſunt obnoxia: Nos itaque hoc Decretum confirmantes, & aſtruentes, decernimus eamdem Excommunicationis ſententiam ſubire Notarios, alioſue id calidè conſulentes, à qua tàm ipſi, quàm venditores, & emptores minimè abſoluantur, niſi facta huiuſmodi expreſſione.

CAPVT OCTAVVM.

NOtarij, alijque, quibus contigerit teſtamenta ſcribere, ſiuè codicillos, aliauè ſcripturarum genera, ſiuè quæcumque alia legata ad pias cauſas, infra bimeſtre Epiſcopali Curiæ, & ipſorum locorum Rectoribus ſub pęna Excommunicationis denuncient. Et eamdem ſententiam ſubeant ſcientes pias diſpoſitiones, & illas, vt ſupra, non denunciantes.

CAPVT NONVM.

ADminiſtratores, Procuratores, alijue Officiales tàm Venerabilis noſtri Capituli, quàm aliarum Eccleſiarum, ſiuè Sodalitatum, munera, ſeù adminiſtrationes vltra annum non exerceant, ſub pœna nullitatis, & inualiditatis actuum, quos vltra id tempus peregerint: Et inſuper, vt rationem ſuæ adminiſtrationis quilibet eorum, completo hoc tempore, infra menſem immediatè ſequentem reddere teneatur, ſub pœna inhabilitatis ad hæc, & ſimilia officia exercenda decernimus, atque ſancimus.

CAPVT DECIMVM.

VT bona menſæ Capitularis benè, rectéue adminiſtrentur, & ſine confuſione, ea quæ facienda ſunt, prudenter peragantur, præter duos Procuratores, alij quatuor, veluti conſeſſores, & conſultores eligantur, & quidem de ſenioribus Capituli, cum quorum conſilio, & voto cuncta decernantur, & terminentur: Cum verò ea, quæ ſingulos tangunt, erunt pertractanda, tunc omnes de Capitulo conueniant.

CAPVT VNDECIMVM.

QVI ſcripturas quomodolibet ad Capitulum, Eccleſias, Sodalitates, Hoſpitalia, & cætera loca pia ſpectantes, detinent, eas, infra menſem à die huius Decreti promulgationis, quorum decem pro primo, decem pro ſecundo, & de-

cem pro tertio, & vltimo peremptorio termino, ac pro vnica, & trina monitione eis aſſignamus, Procuratoribus, & Officialibus dictorum locorum reſtituant, alioquin Excommunicationis ſententiæ ipſo Iure ſubiaceant.

TITVLVS TRIGESIMVS PRIMVS.

De Congregationibus Capitularibus.

CAPVT PRIMVM.

NON mediocris cura Epiſcopi eſſe debet, capitularia Capitula, ac Congregationes cum laude, & Dei gloria, cum Eccleſiæ fructu, & conſcientiæ vnius cuiuſque quiete fieri, & abſolui; Vt ita ergo conſeſſiones eueniant, ſemper inchoentur cum inuocatione Spiritus Sancti, qui eſt Dator pacis, & à quo cuncta bona procedunt, qua inuocatione à Digniore piè, & deuotè facta, ſimul omnes iurent, nulli, quidquid dictum, vel factum fuerit, quod præiudicio, vel toti Capitulo, vel alicui, ſeù aliquibus de illo eſſe poſſit, patefacturos: Quo Iuramento nõ ligari eos, qui ad Epiſcopum, vel alios Eccleſiaſticos Superiores, geſta referunt emendationis cauſa, decernimus, atque declaramus.

CAPVT SECVNDVM.

AD omnia iurgia, ſtrepitus, ac vociferationes à comitijs eliminandas, & eliminanda; præcipimus, vt re propoſita nemo ante digniorem loquatur; ſed per ordinem iuxta gradus prærogatiuam

uam quiſque ſuum votum, & quidquid in Domino ſenſerit pro bono publico modeſtè aperiat; & niſi à minori parte aliquod rationabiliter obiectum fuerit, præualeat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod à maiori, & ſaniori parte Capituli fuerit ordinatum.

CAPVT TERTIVM.

NVllus Laicus cuiuſuis dignitatis, conditionis, aut gradus quocumque modo ad quaſcumque electiones, vel concluſiones faciendas ſe intromittat, vel cooperetur, aut ingrediatur in locum Capituli ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ: Sic pariter ſub eadem pœna nemo vota procuret, aut exquirat, cui ſubiaceant tàm Laici, quàm alij de Clero, qui vel ſuaſerint, vel timore incuſſo vota extorſerint; & quod ita geſtum fuerit, nullum ſit, & irritum.

CAPVT QVARTVM.

ELectio Procuratorum fiat à maiori parte Capituli; Maiorem autem partem illam intelligimus, in quam duæ omnium vocalium partes conueniant, aliter verò facta electio pro non facta habeatur; & vt libertati Canonicorum conſulamus; præcipimus tàm electionem Procuratorum, quàm alia negotia grauia per ſecreta ſuffragia decerni, & ordinari.

Procuratores verò, adminiſtrationis tempore expleto, rationem, & redditiuum diſtributionem vltra menſem ne differant, ipſaque diſtributio in

folio

folio deſcripta per aliquos dies publicè in Sacriſtia affigatur, vt ad omnium notitiam perueniat.

CAPVT QVINTVM.

AD remouendas omninò fraudes, ac nullitatibus obuiandum, quæ in electione Vicarij Capitularis ſępè numero ſuboriuntur, cum conſenſu fratrum noſtrorum de Capitulo, quinimò ipſis flagitantibus, præcipimus, ſeù potiùs ipſimet Canonici noſtro accedente beneplacito conſtituunt, vt quoties contigerit huiuſmodi fieri electionem, eam per cedulas fieri, in quarum ſuperiori parte ſcribatur nomen eligentis, quod vt nemini innoteſcat, ipſa cedula ſigillo non cognito obſignetur; in inferiori verò parte nomen ponatur Electi omnibus conſpicuum: hæ autem cedulæ à Procuratoribus ſcrutentur, ita tamen vt illarum partes, in quibus nomina eligentium ſunt deſcripta, nunquam recludantur, ab ijſdem deinde cautè ſeruentur, donec Electus pacificam adeptus fuerit poſſeſſionem, qua adepta, præſentibus Electoribus comburantur. Ille verò ad Vicariatus munus obeundum dicatur canonicè electus, in quem duæ ſaltem eligentium partes conueniant, quibus deficientibus, aut forma hac deſcripta non ſeruata, irrita prorſus ſit electio, & nulla.

TITVLVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

De Conſtitutionibus.

CAPVT PRIMVM.

VAnum eſſet Leges ferre, niſi eſſent, qui eas ſeruarent; ideò in memoriam omnibus Sacerdotibus,

dotibus, & Clericis redigimus, vt, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, tùm ipſi diligenter ſeruent, tùm, vt ab vnoquoque pro viribus ſeruentur, ſedulò incumbant: Scriptum eſt enim. Vis Vitam æternam ingredi? Serua mandata. Et ne, quod præſtare teneantur, ignorent, mandamus omnibus, & ſingulis Clericis in noſtra Ciuitate, & Diçceſi exiſtentibus, vt quiſque apud ſe habeat Libellum harum Conſtitutionum: Archipresbyteris autem præcipimus, vt ſaltem bis in menſe in concurſu Populi eaſdem Conſtitutiones, vel aliquos titulos illarum publicent in lingua vernacula, itaut ab omnibus intelligantur.

CAPVT SECVNDVM.

QVicumque hiſce Sanctionibus parere recuſauerint, ſtatutis in ijſdem Conſtitutionibus pœnis afficientur; Alijs nihilominus tùm Iuris, tùm Sac. Conc. Trid. in ſuo robore permanentibus. In illis verò, in quibus nulla fuerit appoſita pœna, Nos arbitratu noſtro tranſgreſſoribus pęnas irrogabimus, delicti, & perſonarum qualitate penſata.

CAPVT TERTIVM.

QVoniam Conſtitutiones Prædeceſſorum noſtrorum obſeruantia dignas eſſe cognouimus, illas in omnibus, quæ his Sanctionibus noſtris non aduerſantur, omninò innouamus, & ab omnibus obſeruari mandamus.

APPEN-

APPENDIX AD SYNODVM NERITONEN.

***

EDITTO

PER L'OSSERVANZA

Della Quadrageſima da publicarſi ogni Anno nella prima Domenica di Quadrageſima.

ORATIO FORTVNATO

PER LA DIO GRATIA, E DELLA SANTA

Sede Apoſtolica Veſcouo di Nardò.

SE ogni ſolennità di tempo ricerca, e dal Paſtore ſollicitudine, e da i Popoli l'oſſeruanza, che ſi deue alla celebrità di quel ſolenne miſtero: Il ſacro tempo della Quadrageſima frà gli altri particolarmente lo ricerca. Fù il digiuno conſecrato da Chriſto Noſtro Signore: Fù comandato da gli Apoſtoli: Fù ſino da quei tempi Apoſtolici oſſeruato perpetuamente in tutta la Chieſa di Dio. 'E queſto tempo Quadrageſimale come vna decima di tempo, che con maggior diligenza

 di

di opere ſante dobbiamo à Sua Diuina Maeſtà: Tempo è queſto accettabile, tempo in cui lo ſpirito deue trà le aſtinenze ſpiccare vguale à sè medeſimo, e ſuperiore al corpo, affinche: *Qui à Paradiſi gaudijs* (come dice S. Gregorio) *per cibum cecidimus, ad hac in quantum poſſumus per abſtinentiam reſurgamus*: Quindi per l'obligo del noſtro officio Paſtorale, inerendo à ciò, che hanno diſpoſto i Sacri Canoni, ed il Sacro Concilio di Trento, comandiamo à tutti, ed à ciaſcuno de' noſtri sudditi tutte le coſe infraſcritte, da oſſeruarſi inuiolabilmente nella Città, e Diocesi noſtra.

Che neſſuno di qualunque ſtato, grado, ordine, e conditione ſi ſia, nella Quadrageſima mangi carne di veruna ſorte ſotto pena graue à noſtro arbitrio, & in ſuſſidio di ſcommunica; nè anche oua, butiro, latte, formaggio, nè altri cibi, qualunque ſi ſiano, vietati nel tempo Quadrageſimale, ſotto pena taſſata nel Cap. Statuimus, diſt. 72. ch'è di ſuſpenſione à gli Eccleſiaſtici, e della ſcommunica alli Secolari.

Che conforme all'obligo, che tutti hanno ſotto pena di peccato mortale, ciaſcuno in ciaſcun giorno Quadrageſimale (fuora delle Domeniche) digiuni, eccettuati quelli, che per l'età ſono eſſenti da queſto obligo.

Che i cibi vietati non ſi pōghino in ogni luogo à vendere per vſo degl'infermi, ma ſolamēte à certi luoghi determinati, nè in bottega tutta aperta, ma la maggior parte ſia ſerrata, nè ſi venda ogni ſorte di carne, ma ſolo quella, che à giuditio de' Medici può ſeruire per gl'Infermi, à' quali ricordiamo, che eſſendo à loro conceſſa in ſcriptis la licenza di mā-
giare

giare nella Quadrageſima carne, & altri cibi proibiti, deuono mangiarla moderatamente, e con quei condimenti, che ſono proportionati à gl'Infermi.

Non ſia però lecito à neſſuno Infermo di mangiare della carne, ò altri cibi proibiti, ſenza noſtra licenza in ſcritto, ò del noſtro Vicario Generale, ò delli noſtri Vicarij Foranei ne gli altri luoghi della Diocceſi, qual licenza non ſi conceda ſenza che ſi produca fede giurata del Medico, che ben conoſca la compleſſione dell'Infermo, grauando la coſcienza de' Medici con peccato mortale à non far dette fedi, quando la neceſſità non lo richiegga.

Che tutti i Bottegari in tempo di Predica tengano chiuſe le botteghe.

In oltre racordiamo col Padre San Bernardo à tutti, che, *melior eſt abſtinentia vitiorum, quam ciborum*, che perciò in queſto sacro tempo ogn'vno cerchi di ritirarſi ad vna vita, che ſia conforme al tempo, ch'è di Penitenza; Si laſcino le inimicitie, gli odij, le riſſe, e i rancori, e ſi habbia pace con tutti.

In ogni tempo conuiene, che il Chriſtiano s'aſtenghi dalle burle, e ciancie; ma in tempo della Quadrageſima tanto più diligentemente hà da farlo, quanto più ſouente hà d'attendere all'oratione, & alla penitenza.

Fuggirà dunque ogni Chriſtiano i ragionamenti vani, e molto più i laſciui, e ſcandaloſi; si aſterrà dalle caccie, e dalli giochi; ma il paſſatempo di ogn'vno ſia la lettura di Libri spirituali, aſſiſtenza alli Diuini officij, oratione, e santa meditatione.

Ogni mattina cerchi per ogni modo vdire la Meſſa, e ſentir la Predica; Si sforzi ciaſcuno fare

in queſto tempo di Quadrageſima più larga limo-ſina, e maſſimamente il ricco, il quale (come ricorda Sant'Agoſtino) quello, che auanza di non ſpẽdere con l'aſtinenza, deue darlo per elemoſina alli poueri di Chriſto.

Et acciòche queſto noſtro Editto ſia à tutti noto, ordiniamo, che da ciaſcuno Arciprete della noſtra Dioceſi ſi publichi nella prima Domenica di Quadrageſima, e copia di queſto affigga nella porta della Chieſa per tutto il tempo quadrageſimale, ed in tal modo habbia forza, come ſe à ciaſcuno fuſſe perſonalmente intimato. Dato dal Noſtro Palazzo di Nardò queſto dì 2. Febraro 1680.

ORATIO VESCOVO DI NARDÒ.

Paduano Mollizzi Cancelliero.

EDITTO

PER LA RIVERENZA DELLE CHIESE
Da publicarſi in ogni terza Domenica di ciaſcun Meſe.

ORATIO FORTVNATO

PER LA DIO GRATIA, E DELLA SANTA Sede Apoſtolica Veſcouo di Nardò.

SE ogni Chriſtiano attentamente conſideraſſe con quanto maggior riſpetto di riuerenza ſono trattate, e venerate in queſti tempi calamitoſi le Caſe de' Prencipi, che la Chieſa ch'è

Caſa

Caſa di Dio, haurebbe ben giuſto motiuo di piangere con lagrime di cuore il poco conto, che ſi fà della Tremenda Maeſtà Diuina; Onde per queſto riſpetto fù da Gregorio Decimo Sommo Pontefice nel Concilio generale di Leone ſantamente ſtatuito, che li fedeli entrino in Chieſa con ogni maggior humiltà, e deuotione, e che in eſſa non ſi faccino conſegli, e publici parlamenti d'Vniuerſità, e ceſſino le confabulationi di qualſiuoglia ſorte, e molto più gli oſceni, e profani colloquij, e finalmente ſiano aliene dalle Chieſe tutte quelle coſe, che ponno turbare i Diuini Officij, & offendere gli occhi della Maeſtà Diuina, acciocche doue ſi và per domandare perdono à Dio de' peccati, quiui non ſia occaſione di peccare.

Et il Sacro Concilio di Trento per queſto medeſimo riſpetto comanda à tutti i Veſcoui, & Ordinarij de' Luoghi, che ſi leuino dalle Chieſe ogni colloquio vano, paſſeggiamenti, ſtrepiti, & ogn'altr' attione ſecolareſca, ſi che ſi conoſca, e ſi poſſa con verità dire, che la Chieſa di Dio è Caſa d'Oratione, e con cenſure Eccleſiaſtiche, & altre pene à loro arbitrio coſtringano il Popolo Chriſtiano ad oſſeruare inuiolabilmente quanto eſſi ſopra di ciò ordinaranno, non oſtante qualſiuoglia conſuetudine in contrario.

E finalmente il Beato Pio Quinto volendo, che li predetti Concilij fuſſero eſseguiti nel primo anno del ſuo Pontificato innouando la Conſtitutione di Gregorio Decimo con lettere Apoſtoliche ſotto il dì primo Aprile 1566. ordinò, che nelle Chieſe entri il Popolo Chriſtiano con ogni humiltà, e deuotione, e ceſſino tutte quelle coſe, che poſ-

ſano

ſano portare ſcandalo, e perturbare i Diuini Officij, comandando à tutti gli Ordinarij de' Luoghi, che faccino eſsattamente oſſeruare il tutto nelle loro Chieſe, e Dioceſi.

Per tanto Noi con l'autorità noſtra ordinaria, e per quella che à Noi è data dalli ſudetti Concilij, e Conſtitutioni Apoſtoliche, & ancora come Delegati della Santa Sede Apoſtolica, con queſto Noſtro Editto per prima, ſeconda, e terza perentoria monitione comandiamo à ciaſcuna Perſona di qualſiuoglia grado, ſtato, ò conditione, che ſia, tutte le infraſcritte coſe, ſotto pena ad arbitrio noſtro, etiandio ſino all'Interdetto dall'ingreſſo della Chieſa, e della ſcommunica in ſuſſidio.

Che neſſuna Perſona entri in Chieſa, anche de' Regolari, con Archibuggio, Piſtole, ò Armi ſimili, nè con li capelli ligati, ma ben compoſti, e col ferraiolo, ſeù cappa accomodata ſopra amendue le ſpalle.

Che neſſuno Laico entri in Sagreſtia, e Choro così de gli Eccleſiaſtici Secolari, come Regolari di queſta noſtra Dioceſi, mentre ſi celebrano, e cantano i Diuini Officij, e nella Sagreſtia, e Choro della noſtra Catedrale, tutto ciò proibiamo ſotto pena di ſcommunica lata ſentenza.

Che neſſuno ardiſca nelle ſudette Chieſe in alcun tempo metterſi il cappello, paſſeggiare, nè meno far rumore, ſtrepito, ò altra coſa, che poſſa diſturbare i Diuini Officij: nè mettere il cappello, ò barretta sù l'Altare, ò appoggiarſi ad eſſi Altari, nè al fonte dell'acqua santa, ò fonte batteſimale.

Che quando ſtà eſpoſto il Santiſſimo Sacramento sù l'Altare, neſſuno ardiſca ſederſi, ma ſtiano

auanti d'vna tanta Tremenda Maeſtà ingionocchiati con ambidue le ginocchia, ò pure in piedi; permettendo ſolo, che ſedino nel tempo, che ſi Predica, purche il Santiſſimo ſi copra con qualche velo, che non ſia traſparente.

Che nella Meſſa ſtiano con l'abito del corpo talmente compoſto (come comãda il Sacro Concilio di Trento) che moſtrino eſſer preſenti non ſolamẽte col corpo, ma con la mente ancora, e con diuoto affetto del cuore, ed à tutta la Meſſa ſtiano inginocchiati con ambe le ginocchia, eccetto che quando ſi legge l'Euangelio, così il primo, come l'vltimo di S. Giouanni ſtiano in piedi; E s'è ſcritto nelle Sacre carte, ch'è maledetto quell'huomo, che fà le opere sacre con negligenza; in quanta maggiore maledittione incorrerà quello, che celebra, ò aſſiſte ad vn sacrificio, ch'è l'attione più santa, e più tremenda, che dall'intelletto humano poſſa mai comprenderſi con irriuerenza?

Che nelle Chieſe non ſi riponga grano, legumi, legnami, ò altra coſa profana: ne negli atrij d'eſſe, ò dietro le mura, ò cimiterij ſi vrini, ò ſi gettino immonditie di ſorte alcuna, ſotto pena di ſcommunica ipſo facto incurrenda.

Così parimente in neſſuna Chieſa tanto de' Secolari, come de' Regolari ſi ammettano à mãgiare, ò à dormire huomini, ò donne di qualunque ſtato, e conditione ſi ſiano, e facendoſi il contrario, reſti quella Chieſa ipſo facto interdetta.

E finalmente eſortiamo nelle Viſcere del Noſtro Signore Gieſù Chriſto tutte le Donne di qualunque ſtato, e conditione, che nõ entrino in Chieſa col capo, che non ſia coperto per quanto ſia poſ-

ſibile,

Interrogatus, An ipſe examinatus in die Dominico proximè præterito fuerit in habitatu, vel ne?

Reſp. Signor sì, che io nel giorno della Domenica paſſata fui ſempre nella Terra, ſenza mai partirmi dall'abitato.

Interrogatus, An ſciat, vel ſaltem audierit, quod in prædicto die Dominico aliquod euenerit inconueniens, aut rumor, & quid, & quomodo, & inter quas, quatenus, &c,

Reſp.

Reſp. Io sò molto bene, che nel giorno di Domenica ſucceſſe vn rumore, ò riſſa trà il Chierico Felice de Aetis, & Tomaſo Suſanna, nella qual riſſa detto Tomaſo reſtò malamente ferito con vna cortella dal Chierico ſudetto Felice de Aetis, e queſto lo sò, perche mi ritrouai preſente al fatto.

Interrogatus, vt recenſeat totum factum à principio vſque ad finem iuxta ſui continentiam, ſeriem, & tenorem.

Reſp. Ritrouandomi io nel detto giorno di Domenica, che furono li 10. di Settembre, auanti la porta di mia caſa verſo le 20. hore vidi venire il detto Chierico, &c.

Ma ſe il teſtimonio riſponderà di hauer inteſo dire, che il Chierico de Aetis habbia ferito il Suſanna. Se gli farà queſt'altro interrogatorio.

Interrogatus, A quo ſiue à quibus ipſe examinatus audierit; Thomam Suſannam vulneratum fuiſſe à Clerico Felice de Aetis.

Se riſponderà dalli tali, e tali, queſti ſi douranno anche eſſaminare; ma ſe dirà, che queſto ſi dice per publica voce, e fama in tutta la Terra, s'interroghi in queſto modo.

Interrogatus, An ipſe examinatus ſciat à quibus perſonis ortum habuerit talis fama, & quomodo orta fuerit, & ex quo tempore?

Reſpondit, &c.

Et Domino ſubiungente, ipſumq; examinatũ interrogante, An ſciat cauſam, vnde Populus motus fuerit ad credendum, Thomam Suſanna vulneratum fuiſſe à Clerico Felice de Aetis, potius quam ab alio?

Reſpondit, &c.

In-

Interrogatus, An ipſe examinatus ita adhuc credat, Clericum Felicem de Aetis vulneraſſe Thom. Suſanna, pro vt ſe audiſſe teſtatur?

Reſpondit, Io non vi voglio mettere di coſcienza à credere fermamente, che il Clerico de Aetis habbia ferito Tomaſo Suſanna; però, à dirla liberamente, hò qualche inditio, che mi fà giudicare ſenza temerità, che ſia vero quello, che dice il Popolo, perche il detto Chierico hà inimicitia con Tomaſo Suſanna per cauſa, &c. e sò ancora, che molte volte l'hà minacciato, e queſto lo sò, perche, &c.

Da queſti interrogatorij ſi può riceuere qualche lume per ſapere eſſaminare i Teſtimonij, e purgare bene le loro depoſitioni; & ancorche detti interrogatorij ſiano formati in lingua latina; ſi ponno anche fare in lingua volgare. Il fine poi dell'eſſame di ciaſcuno teſtimonio ſi concluderà in queſto modo.

Tunc Dominus acceptatis acceptandis examen dimiſit, ipſumque teſtem licentiauit, præſtita iuratoria cautione de ſe præſentando ad omnem ordinem Reuerendiſſimi Vicarij Generalis Nerit. pro confrontatione, vel repetitione facienda, pro vt Iurauit tactis, &c. impoſito ſibi, vt ſe ſubſcriberet, vel impoſito ſibi, vt ſignum Crucis propria manu facceret, & quo dixit, ſe neſcire ſcribere, pro vt accepto calamo illud propria manu ſigniuit, vt infra ✠

✠
✠✠✠
✠

CATALOGVS EXCOMMVNICATIONVM

Non Reſeruatarum, quæ in corpore Iuris continentur.

Contra Omnes.

PRima fertur contra Laicos auferentes ab Eccleſia oblationes, & ſibi vſurpantes, cap. hanc Conſtitutionem 10. quæſt. 1. hæc excommunicatio non ligat Eccleſiaſticos.

2 Contra omnes cogentes mulieres ad ingrediendum Religionem. Trid. Seſſ. 25. cap. 18.

3 Contra impedientes, aut cogentes mulieres ad ſuſcipiendum habitum Religionis. Trid. vbi ſup.

4 Contra impedientes Viſitatores Monialium in ſuo munere. Clem. attendẽtes, de ſtatu Monach.

5 Contra Directores Monialium fouẽtes diſcordias inter ipſas Moniales. cap. indemnitatibus §. poſtremò, de Elect. in 6.

6 Contra cogentes aliquem ad Matrimonium contrahendum. Trid. Seſſ. 24. cap. 9.

7 Contra contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis conſanguinitatis, & affinitatis; & contra Religioſos, Clericos, & Moniales contrahentes Matrimonium. Clem. vnica, de conſang.

8 Contra negantes Matrimonium clandeſtinum validum fuiſſe ante Tridẽtinum, vel affirmantes, Matrimonium filij fam. factum inconſulto Patre eſſe nullum. Trid. Seſſ. 24. cap. 1.

9 Contra raptores mulierũ, ac contra præbentes illis auxiliũ, conſiliũ, & fauorẽ. Trid. vbi ſup. c. 6.

10 Contra procurantes abortum fœtus animati. Bulla Sixti V. aſſignatam 87.
11 Contra impugnantes litteras conceſſas à Papa ante ſuam coronationem. Extrauag. vlt. de ſen. excom.
12 Contra perſequentes Cardinales. Cap. felicis de pœnis in 6.
13 Contra vexantes Inquiſitores, alioſque S. Officij Miniſtros. Pius V. in Extrauag. ſi de proteg.
14 Contra docentes, vel aſſerentes non eſſe neceſſariam Confeſſionem habenti conſcientiam peccati mort. ante ſumptionem Euchariſtiæ. Trid. Seſſ. 13. can. 11.
15 Contra extorquentes per vim, & metum abſolutionem alicuius cenſuræ. Cap. abſolutionis, de his quæ vi, metuſue, &c. in 6.
16 Contra Imprimentes Libros ſine Superiorum permiſſu: Index Librorum prohibitorum, Trid. Seſſ. 4. Et contra retinentes tales libros.
17 Contra præſumentes interpretari decreta Sac. Conc. Trid. Bulla Pij V. Benedictus Deus 73.
18 Contra impedientes Iudices Eccleſiaſticos in ſua Iurisdictione. Cap. quoniam de Imm. Eccl. in 6. & cap. 13. Bullæ Cœnæ.
19 Contra vexantes Eccleſiaſticos, aut eorum cõſanguineos, vel eorum bona, eo quod noluerint eligere illum, pro quo rogabantur. Cap. ſciant cuncti, de Elect. in 6.
20 Contra compellentes Eccleſiaſticos, vt ſubmittant laicis bona, & Iura Eccleſiæ, aut vſurpantes aliquod vltrà pactum, &c. Cap. hac conſultiſſimè, de reb. Eccl. non alien. in 6.
21 Contra exigentes, ſeù extorquentes pedagia

ab Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis. Cap. quamquam, de cenſibus, & exact. in 6.

22 Contra concedentes repreſalias aduerſus perſonas Eccleſiaſticas; Cap. vnico, de Iniur. in 6. Repreſalia eſt facultas alicui data, vt pro re ſibi arrepta, poſſit propria auctoritate accipere equiualentem à tertia perſona.

23 Contra occupantes bona, Iura, Cuſtodiam, & Regalia Eccleſiarum vacantium. Cap. generali conſuetudine, de Elect. in 6.

24 Contra impedientes ſequeſtrum beneficij factum ab Ordinario, vel præſumentes occupare fructus beneficij ſequeſtratos. Clem. vnica, de ſequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.

25 Contra moleſtantes Collegium, aut Deputatos Fabricę S. Petri de Vrbe. Bulla Pij V. exigit.

26 Contra Fæminas aſſumentes ſtatum Beguinarum, aut in eo perſeuerantes. Clem. 1. de Relig. Dom.

27 Contra profitentes fictam Religionem fraticellorum, ſeu Beguinorum, & contra Prælatos eos admittentes. Extrauag. Sancta Romana, de Relig. Dom.

28 Contra conuenientes Dominicanos coram Iudice Laico, vel Eccleſiaſtico non propoſita prius causa corā eorum Superiore. Leo Papa. X. Hæc excommunicatio non eſt vſu recepta, vt teſtatur Filliuc.

29 Contra pingentes Agnos Dei, illoſque venales proponentes. Conſtitutio Greg. 13. Omni certè ſtudio.

30 Contra ſepeliētes hęreticos, vel eorū fautores, & receptores. Cap. quicumq; hęretico, de hęreſ. in 6.

 31 Se-

31 Contra ſepelientes mortuos in loco ſacro tempore Interdicti, aut ſepelientes publicos excommunicatos, Interdictos, aut Vſurarios. Clem. 1. de ſepult.

32 Contra docentes Religioſos legem, aut Medicinam, cap. vt periculoſo, ne Clerici, vel Monachi in 6.

33 Contra alloquentes ſecreto Cardinales in Cõclaui, aut illis litteras, vel Nuncios mittentes. Cap. vbi periculum, de Elect. in 6.

34 Contra mandantes aſſaſſinium, aut defendentes, vel occultantes aſſaſſinum. Cap. pro humani, de homic. in 6.

35 Contra Procurantes, vt Conſeruatores procedãt in alijs, quàm in manifeſtis iniurijs, & violentijs. Cap. hac Conſtitutione, de Officio Legati Bulla Greg. 15. Sanctiſs. in Chriſto Pater.

36 Contra inducentes Iudices per fraudem ire ad fæminam ad eius teſtimonium ſuſcipiendum. Cap. Mulieres, de Iud. in 6.

37 Contra conducentes domus Magiſtrorum, aut Scholarium Bononiæ, non elapſo tempore conductionis, ſine licentia Inquilinorum. Cap. ex recepto il primo, de locat. & cond.

38 Contra Diuinatores exercentes Sortilegia, & contra conſulentes Diuinatores. Cap. 1. 26. q. 5. Bulla Ioann. 22. ſuper illius 13.

39 Contra Percutientes in Eccleſia. Cap. cum pro cauſa, de ſent. excom.

Contra Clericos.

PRima fertur contra Clericos in Sacris contrahentes Matrimoniũ. Clem. vnica, de conſang.

2 Con-

2 Contra omnes perſonas Eccleſiaſticas, quæ ſcripto, vel verbo audent impugnare Iuſtitiam, & honeſtatem Montis Pietatis. Bulla Leon. Papæ X. inter multiplices 9.

3 Contra abſoluentes à Caſibus Bullæ Cęnæ, vel Ordinariorum, & ſi abſoluant ſub prætextu priuilegij excommunicatio eſt reſeruata Papæ. Extrauag. & ſi Dominici, de pœnit. & remiſs. Decretum Sacræ Cong. anno 1602.

4 Contra aſſumentes munus miniſtrandi in Ciuitate diuerſarum linguarum, & rituum abſque licentia Epiſcopi. Cap. quoniam, de Off. Iud. Ord.

5 Contra Sacerdotes exercentes Præfecturas ſęculares, ſi moniti non deſiſtant. Cap. Clericis, ne Monachi, vel Clerici.

6 Contra Sacerdotes addiſcētes Legem, vel Medicinam, niſi infrà duos mēſes huiuſmodi ſtudiū dimiſerint; eadem excommunicatio fertur contra Clericos beneficiatos. Cap. ſuper ſpecula, ne Clerici, vel Monaci. Hac excōmunicatione non ligari eos Pręsbyteros, qui legum facultati operam nauant ſecundario, hoc eſt, vt Canones melius addiſcant. Fagund. in cit. cap nu. 30.

7 Contra Sacerdotes, & Clericos beneficiatos, qui interſunt ſpectaculis Taurorum. Extrauag. Pij V. de Salute Gregis.

8 Contra reſignantes, aut fictè permutantes beneficia, ac Notarios Inſtrumenta rogantes. Bulla Innoc. 8. ſicut bonus: & Bulla Pij V. Quanta Eccl.

9 Contra omnes Eccleſiaſticos locantes domos Vſurarijs alienigenis. cap. 1. de vſur. in 6.

10 Contra Clericos, vel Monachos, qui procurāt, vt regalia, aut Iura Eccleſiarum vacantium ab

alijs

alijs occupentur. cap. generali, de Elect. in 6.
11 Contra alienantes bona Eccleſiarum, vel locātes vltrà triennium. Extrauag. ambitioſę, de reb. Eccl. non alien.

Contra Religioſos.

1 Contra Regulares delinquentes in viſitatione Monaſteriorum Monialiū. Bulla Alex. 7 Sacrarum Virginum.
2 Regulares audientes Legem, aut Medicinam extra clauſtra. cap. ſuper ſpecula, ne Clerici, vel Mon.
3 Inſtituentes nouum Ordinem, ſine licentia Papæ. cap. vnico, de Relig. Dom. in 6.
4 Profeſſos temerè habitum dimittentes. cap. 2. ne Cler. vel Monachi.
5 Occupantes Decimas, vel ſolutionem impedientes. Clem. 1. de Decim.
6 Adeuntes Curiam Principum ad nocendum ſuis Prælatis, vel Monaſterijs. Clem. 1. de ſtatu Monachorum.
7 Tenentes arma intrà Clauſtra, ſine licentia ſuorum Superiorum. Clem. ne in agro §. quia vero contigit.
8 Fouentes ſtatum Beguinarum. Clem. 1. de Relig. Dom. Beguinæ erant quædam mulieres, quę nullam regulam approbatam profitebantur, habitum tamen deferebant, dictum Beguinarum, & ſub ſpecie ſanctitatis multos decipiebant; & erroneas opiniones diſſeminabant.
9 Profeſſos contrahentes Matrimonium. Clem. vnica, de conſanguinit.

10 Men-

10 Mendicantes nouas domos recipientes, & iam receptas, ſine licẽtia Papæ alienantes. cap. vnico, de exceſſ. Prælat. in 6. Clem. cupientes, de pœn.

11 Retrahentes Auditores à ſolutione Decimarũ, atque negligentes ſuadere, vt ſoluant; & præſumentes prædicare nondùm purgata tali negligentia. Clem. cupientes, de pœn.

12 Non ſeruantes Interdictum, quando obſeruatur in Cathedrali, vel Parochiali. Clem. 1. de ſent. excom.

13 Mendicantes, & Parochos in partibus Germaniæ non ſeruantes pacem inter ipſos factam. Extrauag. 2. de tregua, & pace.

14 Regulares vſurpantes ſibi Decimas, vel earum ſolutionem impedientes. Clem. 1. de Decim.

15 Accedentes ad ſtudia, abſque licentia ſui Superioris, & conſilio Conuentus. cap. vt periculoſa, ne Cler. vel Mon. in 6.

16 Minores, qui ſine licentia ſuorum Prouincialium ſe transferunt ad Capuccinos; & contra Capuccinos, qui dictos Minores ad ſe accedentes recipiunt. Bulla Pauli 3. Romani, & Iul. 2. Officij, & Sixti V. pro ea 20.

Contra Epiſcopos.

1 Contra Epiſcopos ſuſcipientes Prælaturam in Ciuitate diuerſarum linguarum, ſine licentia Proprij Epiſcopi. cap. quoniam §. ſed ſi propter, de off. ord.

2 Epiſcopos accedentes ad Vrbem latenter, vel inde ſine licentia Papę recedentes. Extrauag. 2. & 3. de Maior. & Obed.

3 Permittentes habitum fraticellorum. Extrauag. Ioann. 22. Sancta Romana, de Relig. Dom. fraticelli idem erant, ac Beguini.

4 Nuncios Sedis Apoſtolicæ impetrantes litteras à Principibus ad Dignitates obtinendas. Bulla Pij 4. & ſi Romana 96.

Contra Dominos Temporales, Magiſtratus, & Iudices.

PRima excommunicatio fertur contra Principes præcipientes ſuis ſubditis, ne præſtent obſequia Eccleſiaſticis, nevè cum illis contractus ineant. cap. eos qui, de Imm. Eccl. in 6.

2 Impedientes Officium Sanctæ Inquiſitionis, aut reſiſtentes Epiſcopis, & Inquiſitoribus. cap. vt inquiſitionis, de hæret. 6.

3 Dominos, aut Magiſtratus non facientes obſeruari, quæ præſcribuntur in cap. vbi periculum §. præterea, de Elect. in 6.

4 Grauantes Mendicantes, aut eorum Colonos, & bona ad ſolutionem gabellarum. Bulla Pij V. dum ad vberes 11.

5 Facientes obſeruari ſtatuta, aut conſuetudines libertati Eccleſiaſticæ contrarios, aut ipſas deleri non facientes. cap. nouerit, de ſent. excom.

6 Non facientes, aut omittentes obſeruari Conſtitutionem. cap. felicis, de pœnis in 6.

7 Poteſtates sæculares negligentes poſt trinam monitionem ſuum officij munus obire in defenſionem Eccleſię; Viduarum, & Pupillarum, ac latrocinia extirpare. cap. Adminiſtratores 23. q. 5.

8 Magiſtratus nõ præbentes Epiſcopis auxilium circa Clauſurarum Monialium. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 5.

Ma-

9 Magiſtratus,& Officiales non obedientes Cardinalibus Congregationis S. Officij. Bulla Pij v. Sanctiſſimus prima.

10 Officiales Inquiſitorum,& Epiſcoporum extorquentes pecuniam prætextu officij. Clem. 2. de hæret.

11 Officiales Cancellariæ Apoſtolicæ intromittentes ſe expedire cauſas ſibi interdictos à Pio 4. in Bulla 54. Vniuerſi gregis.

12 Vexantes Notarios Cameræ Apoſtolicæ. Bulla Pij 4. ſuper Prouidentia.

13 Omnes Miniſtros applicantes mulctas,& Confiſcationes alteri, quàm Cameræ Apoſtolicæ. Bulla Pij 4. Decet Romanum Pontificem.

14 Rectores Vniuerſitatum admittentes Doctores in Cathedra non facta prius per eos fidei profeſſione. Bulla Pij 4. In Sacroſancta 88.

15 Dominos fouentes vſuras. Clem. vnica, de Vſuris.

16 Deferentes, & permittentes deferri arma breuiora tribus palmis in ſtatu Eccleſiaſtico. Bulla Pij 4. Cum ciues, 49.

17 Concedentes repreſalias contra perſonas Eccleſiaſticas. cap. vnico, de Iniurijs in 6.

18 Permittentes agitationes Taurorum. Bulla Pij v. De ſalute 47.

19 Cogentes ſubditos, ne matrimonium liberè cõtrahant. Trid. ſeſſ. 24. cap. 9.

20 Dominos impedientes Legatos Apoſtolicos, ne ingrediantur in Terras ſibi ſubiectas. Extrauag. ſuper gentes, de conſuetudine.

CATALOGVS EXCOMMVNICATIONVM

Papæ reſeruatarum extra Bullã Cœnæ.

Contra Omnes.

PRima Excommunicatio fertur contra facientes ſponſiones ſuper vita, morte, & futura electione Summi Pontificis, aut ſuper promotione Cardinalium. Bulla Greg. 14. Cogit nos deprauata.

2 Mittentes litteras in Conclaui, & recipientes. Bulla Pij v. In eligendo 63.

3 Retinentes falſas litteras Apoſtolicas ſi infra 20. dies illas non deſtruant. cap. Dura, de crimine falſi.

4 Fingentes, ſe eſſe Commenſales Cardinalium, vt expeditiones litterarum Apoſtolicarum gratis aſſequantur. Bulla Innoc. 8. Cum ſicut 9. & Leonis x. 28.

5 Percutientes Clericos. cap. Si quis ſuadente Diabolo, 17. quæſt. 4.

6 Offendentes Cardinales, & Epiſcopos. cap. felicis, de pœn. in 6.

7 Scientes, & non reuelantes coſpirationem in perſonam alicuius Cardinalis, dicto cap. felicis, de pœn. in 6. & in Bulla Cœnæ.

8 Occupantes bona Cardinalium exiſtentium in Conclaui, vel eorum domum inuadentes, aut aliquem ibi vulnerantes, dicto cap. felicis, & Leo x in Bulla 16.

9 Occupantes bona Eccleſiarum, beneficij, aut Piorum locorum, pro vt & Iura vſurpantes. Trident. ſeſſ. 22. c. vlt.

Re-

10 Retinentes ſcripturas Cameræ Apoſtolicæ, vel non reuelantes. Pius v. in Bulla cum de litteris 70. Six. v. in Bulla 56.

11 Effringentes, & ſpoliantes Eccleſias. cap. cõqueſti, de ſent. excom.

12 Auferentes, aut retinentes lapides, vel ornamenta Eccleſiarum, vel non reuelantes. Sixt. v. in Bulla, cum Prouida 5.

13 Extrahentes reliquias ex Catacumbis. Decretum Pauli v. ſub die 24. Aug. 1613.

14 Imponentes, & exigentes tributa à Clericis cap. Clerici, de Imm. Eccl. in 6. cap. quamquam de cenſ. in 6. Bulla Cęnæ, cap. non minus, de Imm. Eccleſiarum.

15 Vexantes eos, qui cenſuram aliquam tulerunt. cap. quicumque, de ſent. excom.

16 Violantes Immunitatem Eccleſiaſticam locis ſacris conceſſam. Bulla Greg. 14.

17 Exigentes Iuramenta libertati Eccleſię contraria, vel Decretis Concilij Trid. Greg. 13. in Bulla, inter Apoſtolicos, 91.

18 Præſumentes turbare, & impedire, quæ ſtatuta ſunt pro Eccleſia Toloſana. Extrauag. Saluator, de Præb. & Dign.

19 Impedientes executionem litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. Iul. 3. in Bulla: Rationi congruit, prima.

20 Violantes interdictum in quatuor caſibus expreſſis in Clem. graui, de ſent. excom.

21 Participantes cum excommunicato à Papa in crimine crimino ſo, hoc eſt cooperantes crimini, aut contumaciæ, ob quam alter fuit excommunicatus. cap. nuper, de ſent. excom.

22 Excommunicati à Delegato Pontificis perſe-uerantes per annum in excommunicatione, elapſo anno, excommunicatio remanet reſeruata Papæ, cap. quærenti, de Off. Deleg.
23 Abſolutus à Papa, vel eius Legato ſub conditione, ſi ea non adimpleat reincidit in eamdem excommunicationem Papæ reſeruatam. cap. eos qui de ſent. excom.
24 Contra Simoniacos in Ordine, & beneficio. Extrauag. cum deteſtabile 2. de Simon.
25 Contra committentes Simoniam confidentialem in beneficijs. Pius 4. in Bulla: Romanum Pontificem 85. & Pius v. Intolerabilis Simonia confidentialis eſt, quando reſignatur beneficiũ, aut confertur, aut ad nominatur, vel præſentatur, cum animo, vt fructus remaneant penes reſignãtem, conferentem, vel præſentantem.
26 Contra Petentes, vel exigentes aliquod in collatione beneficiorum. Pius v. in Bulla, Durum nimis 104.
27 Contra dantes aliquod Nunciantibus Prouiſiones Apoſtolicas; vide Bonac. de excom. in part. diſp. 2. quæſt. 3. pun. 27.
38 Supponentes ſe in examine pro alijs, pro beneficio obtinendo, vel impetrantes beneficium pro alio, cum oblatione penſionis, vel impetrantes beneficium, cum animo reſignandi. Paul. 4. in Bulla: Inter cæteras curas 12.
29 Dantes, & recipientes aliquod, ob ingreſſu Religionis. Extrauag. 1. de Simon.
30 Concedentes, aut publicantes Indulgentias, vel concedentes facultatum abſoluendi à reſeruatis, ob quæſtum pecuniarum. Pius v. in Bulla: Quam plenum 99.

Dan-

31 Dantes, & recipientes, aut promittentes, pro gratia, vel Iuſtitia obtinenda à Curia Rom. Extrauag. prima, de ſent. excom. Greg. 13. in Bulla: Cum ab ipſo 24.

32 Dantes, recipientes, aut promittentes, pro gratia, vel Iuſtitia obtinenda in locis Sedi Apoſtolicæ ſubiectis in temporalibus immediatè, vel mediatè. Clem. 8. in Bulla: Pro commiſſa nobis 10.

33 Docentes poſſe fieri Confeſſionem Sacramentalem per Nuncium, aut per Epiſtolam. Decretum Sac. Cong. S. Officij approbatum à Clem. Papa 8.

34 Impugnantes Conceptionem Immaculatam B. Virg. ac contra damnantes mortali eos, qui tenent contrariam ſententiam. Extrag. graue nimis, de Reliq. & ven. Sanct.

35 Contra impugnantes Inſtitutum, & Conſtitutiones Societatis Ieſu. Greg. 13. in Bulla: Aſcẽdente Domino 89.

36 Iniuriantes verbo, vel ſcripto PP. Dominicanos, & Franciſcanos, aut recipientes Apoſtatas. Bonifac. 9. Eug. 4. & Alex. 4.

37 Retrahentes ab ingreſſu Religionis Montis Oliueti. Iul. 2. in Bulla: Et ſi ad vniuerſos Regulares 12.

38 Contra Fæminas ingredientes Monaſteria Regularium, & contra quoſcumque ingredientes Monaſteria Monial. Trid. ſeſſ. 25. c 5. de Regul.

39 Accedentes ad Sanctiſſimum Domini Sepulchrum, ſine licentia Papæ.

40 Contra legentes, aut retinentes Libros à Sancta Sede damnatos. Clem. 8. in Bulla 20. cum hebræorum malitia.

41 Con-

41 Conſulentes Papæ, vt infeudet Ciuitates, aut loca Status Eccleſiaſtici. Pius v. in Bulla: Admonet nos 35.

42 Extrahentes frumentum, aliaue legumina extra Statum Eccl. Clem. 8. in Bulla: Paſtoralis noſtra, & Vrbanus 8. in Bulla: Supremi.

43 Contra Incẽdiarios, cap. tua nos, de sẽt. excom.

44 Exenterantes corpora Defunctorum. Bonif. 8. in Extrauag. de sepult. inter communes.

45 Capientes Chriſtianos repertos in locis Turcarum. Pius v. in Bulla: Licet omnibus 149.

46 Offendentes Officiales, ſeù Magiſtratus Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ.

47 Committentes, & conſulentes Duellum. Pius v. in Bulla: Ea quæ, 21. Greg. 13. Ad tollendũ 78. Clem. 8. Illius vices 18.

48 Eligentes Senatorem, aut alium Officialem in Vrbe Romæ, abſque facultate Summi Pontificis. cap. fundamenta, de elect. in 6.

49 Contra falſificantes monetam in Regno Franciæ, aut falſam eò ſcienter introducentes. Ioann. 22. in Extrauag. prodiens, de crim. falſi.

50 Diripientes Animalia, & alia bona ex Statu Eccleſiaſtico. Greg. 13. in Bulla: Non ſine grau 98

Contra Dominos Temporales, & Magiſtratus.

1 Contra Dominos concedentes locum in terris ſuis cauſa Duelli. Trid. seſſ. 25. c. 19. Clem. 8. Illius vices.

2 Contra Dominos cogentes aliquem ad celebrandum tempore Interdicti, aut cogentes excommunicatos, ne exeant ab Eccleſia tempore

Diuinorum Officiorum. Clem. grauè nimis, de ſent. excom.

3 Bannientes, aut relegantes perſonas Eccleſiaſticas. Vrbanus 6. in Bulla: Quia ſicut 3. & Bulla Cœnæ.

4 Contra prohibentes ſuis ſubditis, ne vendant Eccleſiaſticis, aut ab eis emant, ne molant triticum, coquant panem, aliaque ſimilia obſequia præſtent. cap. fin. de Imm. Eccl. in 6. Et ſi has prohibitiones facerent per ſtatuta incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ.

5 Recipientes Bannitos in Terris Eccleſiæ ſubiectis. Pius v. in Bulla: Ex ſuperna.

Contra Clericos.

Prima fertur contra Parochos non adimplentes Iuramentum perſonaliter inſeruiendi, & reſidendi. Pius 4. in Bulla, quæ incipit: Inter multiplices curas.

2 Contra Prædicatores interpretantes Sacram Scripturam contra ſenſum expoſitorum ab Eccleſia approbatorum, ac Prædicantes tempus præfixum Iudicij, vel Antichriſti, aut ſuas reuelationes. Leo x. in Bulla: Supremæ Maieſtatis.

3 Admittentes ad Diuina Officia excommunicatos à Papa. cap. Significauit, de ſenr. excom.

4 Contra Clericos tàm Seculares, quàm Regulares inducentes aliquem Iuramento, vel promiſſione ad eligendam ſibi ſepulturam in eorum Eccleſijs, vel ad iam electam mutandam. Clem. cupientes, de pœnis.

5 Contra Eccleſiaſticos omnes trahentes perſo-

nas

nas Eccleſiaſticas coram Iudice Laico, aut trahi facientes. Martin.v. in Bulla: Ad reprimẽdas 10

6 Abſoluentes ſub prætextu priuilegiorum à caſibus Bullæ Cœnæ, vel à caſibus reſeruatis ab Ordinario. Extrauag. & ſi Dominici, de pœnit. & rem. Decretum Sac. Congreg. ſub Clem. 8. de ann. 1602. quod incipit: Sacra Congregatio.

7 Committentes Simoniam confidentialem. Pius 4. in Bulla: Romanum Pontificem 85. & Pius v. Intolerabilis.

8 Supponentes ſe in examine pro alio, vt beneficium conſequatur. Paul. 4. in Bulla: Inter cæteras curas.

9 Occupantes, vel conſentientes, vt occupentur bona, vel Iura Eccleſiaſtica. Trid. ſeſſ. 22. c. 11. de reform.

10 Contra Eccleſiaſticos omnes, qui ſoluerint decimas, talias, vel collectas à sæcularibus impoſitas. cap. Clericis, de Imm. Eccl. in 6. Hic tex. eſt reuocatus per Clem. vnicam, de Imm. Eccl. & auſit reuocatus per Bullam Cœnæ. vide Tolet. lib. 1. cap. 29. nu. 5. Ego autem puto fuiſſe confirmatum per Trid. ſeſſ. 25. cap. 20.

Contra Religioſos.

PRima contra Mendicantes tranſeuntes ſine Pontificis licentia ad non mendicantes, exceptis Carthuſianis. Mart. 5. in Extrauag. viam ambitioſæ, de Regular.

2 Humiliatos admmittentes aliquem ad habitum ſui Ordinis. Bulla Pij v. Hæc Religio fuit iam ſuppreſſa, ob immane crimen patratum, ſeù potius

tius attentatum à farina Religioſo contra Sanctiſſimum Antiſtitem Carolum Boromæi.

3 Quoſcumque Religioſos recipiétes Patres Societatis Ieſu, ſine Pontificis licétia, exceptis Carthuſianis. Pius v. in Bulla: Æquum reputauimus.

4 Clauſtrales recipientes Minimos, ſine licentia Papæ. Iul. 2. in Bulla: Virtute conſpicuos.

5 Minores recipientes Dominicanos, ſine licentia Papæ, vel ſuorum Superiorum; hanc excommunicationem teſtatur S. Antoninus 3. par. tit. 24 cap. 7. & Suar. de cenſ. diſp. 22. ſect. 5. nu. 7.

6 Minimos ſubtrahentes ſe ab obedientia Correctorum. Paul. 3. in Bulla: Cum ſicut.

7 Tertiarios Eremitas deferentes habitum Minimorum. Leo x. in Bulla: Licet alias.

8 Detinétes in ſuis Monaſterijs Apoſtatas Ordinis Prædicatorum: Bonif. 8. cuius tamen Bulla non reperitur, ſed teſtatur à S. Antonino 3. part. tit. 24.

9 Minores de obſeruantia ſubornantes tàm pro ſe, quàm pro alio in Electionibus, aut procurantes fauorem extra Religionem ad Officium in Religione obtinendam. Pius V. in Bulla: Paſtoralis Officij, quæ fuit confirmata à Greg. 13. in Bulla: Conſueuit Romanus, ſed parum hodie obſeruata.

10 Adminiſtrantes Sacramenta extremæ vnctionis, & Euchariſtiæ, vel Matrimonia ſolemnizantes, ſine Parochi licentia. Clem. 1. de priuil. nec non abſoluentes à cenſuris.

11 Fratres Minores, qui tempore Interdicti admittunt Fratres, vel Sorores tertij Ordinis ad audiéda Diuina officia. Clem. cum eo, de ſent. excom.

12 Superiores Ordinum non denunciantes ſuos Religioſos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos. Paul. 5. in Bulla: Romanus Pontifex 26.
13 Contra euntes vltra Mare ſine licentia ſui Superioris. Ioanne 22. in Extrauag. Ad noſtrum, de Regularibus.
14 Moniales violantes Clauſurã. Pius v. in Bulla: Decori 8.

Contra Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, & Officiales Eccleſiaſticos.

PRima fertur contra delinquentes in electione Summi Pontificis. Paul. 4. Iul. 2. & Greg. 13.
2 Cardinales committentes Simoniam in electione Summi Pontificis. Iul. 2. in Bulla; Cum tam Diuino.
3 Cardinales non ſeruantes formam præſcriptam in eligendo Summo Pontifice. Greg. 15. in Bulla. Æterni Patris.
4 Cardinales reuelantes, quæ Papa tegenda ſub ſecreto indicauit. Bulla Leo x. edita in Concil. Lateranen.
5 Contra Epiſcopos aliasuè Prælatos, qui priuant beneficijs Curiales, aut familiares Papæ, vel Cardinalium. Eug. 4. in Bulla: Diuina, de Priuil.
6 Contra Epiſcopos, alioſque Collatores non ſeruantes ſuſpenſionem contractam ob indebitam admiſſionem reſignationis, vel collationis beneficij.
7 Inquiſitores inferiores Epiſcopis omittentes procedere contra ſuſpectos, vel diffamatos de hæreſi,

hæreſi, vel temerè imponentes contra aliquem notam hæreſis. Clem. 1. §. verum de hæret. Contra Epiſcopos fertur ſuſpenſio per trienniū.

8 Officiales Pœnitentiariæ accipientes aliquod, etiam ſpontè oblatum ratione expeditionum. Pius v. in Bulla: In omnibus rebus 83.

9 Contra Miniſtros Cameræ Apoſtolicæ non reddentes integrè computa. Paul. 3. in Bulla: Cum ſicut accepimus 40.

10 Contra Gubernatores locorum ſtatus Eccleſiaſtici recipientes munera præter eſculenta, & poculenta, ac etiam contra tradentes. Paul. 2. in Bulla: Munera, Sixt. 4. in Bulla: Et ſi §. 3.

11 Cardinales ambientes Papatum. Paul. 4. in Bulla: Cum ſecundum.

12 Cardinales, & Epiſcopos Simoniacos in Ordine, & beneficio. Extrauag. cum deteſtabile, de Simonia.

13 Prælatos trahentes Eccleſiaſticum ad forum laicale. Mart. v. in Bulla: Ad reprimendum.

14 Iudices, ſeù Commiſſarios Sedis Apoſtolicæ deputatos ad examinandas cauſas propter quas Summus Pontifex ductus eſt ad concedendum alienationem bonorum Eccleſiæ, quando Iudices ipſi in detrimentum Eccleſiæ concedunt alienationem fieri.

Necnon contra omnes procurantes Alienationem fieri in detrimentum Eccleſiæ, ſeù decretum à Commiſſarijs extorquentes. Paul. 2. in Bulla: Cum omnibus Iudicijs.

✠✠✠

EXPOSITIO CENSVRARVM,

De Excommunicatione.

CEnſura eſt pœna ſpiritualis impoſita propter aliquod crimen, & dicta eſt à cenſeo, quod eſt: Caſtigo; Idem itaque ſonat Cenſura, quod Multa, ſeù pœna: Eſt igitur cenſura pęna ſpiritualis, priuans Chriſtianum vſu aliquorum ſpiritualium bonorum, & triplex eſt: Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum.

Excommunicatio autem eſt Eccleſiaſtica cenſura, ſeù pęna medicinalis, qua homo Chriſtianus priuatur bonis fidelium communibus; & hæc tria ſunt, videlicet exterior Conuerſatio, Sacramentorum participatio, & ſuffragia Eccleſiæ: Dum ergo aliquis eſt Eccleſiæ inobediens, in pęnam omnibus bonis Eccleſiæ priuatur, donec corrigatur, ideòque pęna medicinalis appellatur Excommunicatio, quia directè non fertur ad affligendum corpus, ſed potiùs vt contumax corrigatur, & reſipiſcat.

Duplex eſt Excommunicatio, Maior, & Minor: Maior eſt illa, quæ priuat Chriſtianum his tribus bonis iam recenſitis: Minor verò eſt illa, quæ priuat tantùm à paſſiua Sacramētorum participatione.

Materia Excommunicationis eſt peccatum, ſeù contumacia perſiſtendi in peccato; quia, vt dictum eſt, ob contumaciam fertur excommunicatio, vt contumax reſipiſcat, & hoc eſt proprium pęnæ medicinalis, hoc tamen intelligendum eſt de excommunicatione, quæ fertur pro peccatis præteritis, pro quibus fulminari non poteſt cenſura, niſi admiſſa contumacia: Pro culpis vero futuris non requi-

quiritur actualis contumacia ad comminandam excommunicationem, ſed tantum conſideratur à Iudice quædam prouidentia, qua ipſe mouetur ad prohibendum aliqua delicta ſub pęna excommunicationis, vt fideles timore excommunicationis concuſſi à peccatis præſeruentur.

Non omne peccatum eſt materia excommunicationis maioris, ſed tantum lethale, quia excommunicatio, quæ eſt grauiſſima pœna non debet ferri ob venialem culpam, pęna enim debet correſpōdere culpæ; ſed hoc intelligendum eſt de culpis præteritis: Nam pro futuris poteſt Epiſcopus prohibere ſub pęna excommunicationis aliquod, quod per ſe ſit leue delictum, v. g. ne ſumatur tabaccum in Eccleſia ob reuerentiam ipſius Eccleſiæ; ſumere itaque tabaccum in Eccleſia vtique eſt culpa leuis, & tamen poteſt eſſe materia remota excommunicationis; verum tamen eſt, quod contumacia, quæ conſurgit ex transgreſſione talis præcepti eſt lethalis, licet cadat ſuper re leui, quinimò tanto maior videtur contumacia, quanto ex re minima conſurgit, vt notabilis Gl. in cap. duo, verb. videbatur diſt. *96.* quia ſi quis eſt inobediens ſuo Superiori in re minima, quanto magis grauia præcepta contemneret; vnde ſemper verificatur, peccatum mortale eſſe materiam proximam excommunicationis, nam excommunicatio non fertur ob rem leuem prohibitam, ſed ob contemptum præcepti, ideſt ob contumaciam, quæ ſemper eſt lethalis, licet conſurgat ex re minima, ſummodo res minima, quæ prohibetur, ob Dei gloriam prohibeatur.

Effectus excommunicationis ſunt plures: Primus eſt priuatio ſuffragiorum Eccleſiæ, quæ ſunt

quæ-

quædam ſuffragia ſpiritualia, quæ à Clericis, vt Eccleſiæ miniſtris, pro fidelibus offeruntur, qualia ſunt Sacrificia, Orationes canonicæ, Proceſſiones, &c. his omnibus, ita priuatur excommunic. quod ſi Clericus, vt Miniſter Eccleſiæ, pro excommunicato auderet orare peccaret mort. quia faceret contra præceptum Eccleſiæ in re graui, & adhuc excommunicationem minorem incurreret, quia communicaret cum excommunic. vitando.

Dixi ſi Clericus, vt Miniſter Eccleſiæ, oraret, quia ſi preces funderet priuatas, non vt Miniſter Eccleſiæ, ſed vt priuatus Chriſtianus, neque peccaret, neque minorem excommunicationem incurreret, cum non ſit prohibitum orare, vt priuata perſona, pro excommunicatis: Priuata autem ſuffragia ſunt priuatæ orationes, ieiunia, eleemoſynæ, & ſimiles.

Maxima verò eſt differentia inter publicas, & priuatas preces: Illæ etenim ob Miniſtri indignitatem non perdunt valorem; quia non tantum à Miniſtro, ſed ab Eccleſia, cuius nomine offeruntur valorem ipſum recipiunt: Priuatæ verò orationes ſi fundantur à Clerico lethalis culpæ reo nulliùs ſunt roboris.

Secundus effectus excommunicationis maioris eſt priuatio participationis Sacramentorum, tùm actiuè, tùm paſſiuè, ideſt excommunicatus neque ſuſcipere, neque alijs adminiſtrare poterit Sacramenta; hinc eſt quod ſi Sacerdos excommunicatus celebrando, aut Sacramenta adminiſtrando irregularitatem incurrit, & grauiter peccat, niſi inaduertentia excommunicationis excuſaretur. Si verò Sacerdos excommunicato vitando Sacramenta

præ-

præbeat non ſolum grauiter peccat, ſed etiam excommunicationem minorem incurrit, participando cum excommunicato, & vltra remanet ipſo facto interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, cap. Epiſcoporum, de Priuil. in 6. & ſi ille, cui Sacramenta adminiſtrat, fuerit excommunicatus à Papa, incurrit excommunicationem Papæ reſeruatam, latam in cap. ſignificaſti, de ſent. excom.

Validè verò Sacerdos excommunicatus Sacramenta adminiſtrat, excepto Sacramento Pęnitentiæ, quia ad validitatem Sacramenti tria requiruntur, nempè, materia, forma, & intentio, dum hæc omnia habentur, habetur & valor Sacramenti; Dixi excepto Sacramento pęnitentię, quia excommunicatus vitandus caret Iuriſdictione, ſine qua Pęnitentiæ Sacramentum inualidè adminiſtratur; vnde confeſſio facta Confeſſario excommunicato eſt reiteranda, etiam ſi pęnitens ignoraſſet Confeſſarium ipſum fuiſſe excommunicatum, niſi facta fuerit Confeſſio in eo loco, in quo ignorabatur excommunicatio Confeſſarij, quia in tali caſu error communis tribuit ei Iuriſdictionem, iuxta vulg. tex. in l. Barbarius, de off. Præf.

Sed difficultas eſt, an Parochus excommunicatus validè aſſiſtat Matrimonio? Negant aliqui, quia Parochus excommunicatus caret Iuriſdictione, quæ videtur conſiderata à Sacro Conc. Trid. dum præcipit, vt Matrimonij Sacramentum celebretur non coram quolibet Sacerdote, imò non coram quolibet Parocho, ſed coram proprio Parocho, qui habeat Iuriſdictionem ſuper contrahentes: ſed hoc minimè refragante, dico, quod Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato,

vel Interdicto validum eſt; quia hæc aſſiſtentia non eſt actus Iuriſdictionis, ſed pura, & ſimplex præſentia, quæ eſt illa, quæ à Sacro Conc. Trid. exigitur; ſed Parochus excommunicatus, interdictus, aut ſuſpenſus non deſinit eſſe Parochus propter has cenſuras; ergo validè aſſiſtit.

Tertius effectus eſt, priuatio aliarum rerum Sacrarum, & Eccleſiaſticarum, nempè priuatur excommunicatus vitandus Eccleſiaſtica ſepultura; auditione Miſſæ; aſſiſtentia ad Diuina officia: inhabilitatur ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda: Nec non priuatur Iuriſdictione; voce actiua, & paſſiua; fidelium conſortio; & deniquè ſi gratiam aliquam obtinuerit à Summo Pontifice, gratia ipſa eſt nulla.

Sed dubium eſt, An excommunicatus toleratus ijs omnibus bonis priuetur?

Pro cuius dubij intelligentia, ſciendum eſt, quod excommunicatus dupliciter conſiderari poteſt, vitandus, & toleratus: Vitandus eſt ille, qui vel eſt nominatim denunciatus per publicos Cedulones, vel notorius Clerici percuſſor: Excommunicatus verò toleratus, eſt ille qui reuerà contraxit excommunicationem, aut nominatim fuit excommunicatus, & denunciatus, ſed non publicè, ſcilicet per affixionem cedulonum; vel ſi publicè, non nominatim: v.g. Epiſcopus excommunicat, & publicè denunciat Titium, & fautores, Titius eſt excommunicatus vitandus, fautores verò licet verè, & realiter ſint adhuc excommunicati, tamen ſunt tolerati, quia non ſunt nominatim denunciati, & conſequenter non ſunt vitandi: quia Concilium Conſtanſienſe, ad euitanda ſcandala conceſſit fide-

libus,

libus, vt poſſint participare,& communicare cum excommunicatis, niſi fuerint publicè,& nominatim denunciati, aut notorij Clericorum percuſſores: hoc poſito.

Dico breuiter, quod excommunicatus quamuis toleratus priuatur omnibus Eccleſiæ ſuffragijs, hęc propoſitio eſt determinata in cap. à nobis el ſecondo de ſent. excom. & ratio eſt, quia excommunicatus toleratus eſt verè excommunicatus, ſed Eccleſia excludit indiſtinctè omnes excõmunicatos ab huiuſmodi ſuffragijs, ergo, &c. Neque obſtat Conciliũ Conſtanſienſe, quod permittit fidelibus participare cum excommunicatis toleratis, quia vt optimè notat Bonacina, hæc participatio intelligitur, non quo ad internam participationem, & communicationem ſuffragiorum, ſed quo ad externam tantum conuerſationem, ſeù confabulationem; quia Concilium præfatum Conſtanſ. non correxit Ius antiquum, neque aliquod indulxit excommunicatis, ſed tantum ad euitanda ſcandala permiſit fidelibus conuerſare cum ipſis; ergo Ius antiquum remanet incorrectum quo ad ſuffragiorum priuationem.

Hinc infertur primò contra Nauarr. cap. 27. nu. 36. Sacerdotem offerentem ſacrificia, aut publicè orantem pro excommunicato tolerato peccare mortaliter, quia facit contra præceptum Eccleſiæ in re graui admittendo excommunicatum toleratum ad internam participationem ſuffragiorum.

Infertur ſecundò, excommunicatum toleratum peccare adhuc mortaliter audiendo Miſſam, Sacramenta ſuſcipiendo, aut Diuinis officijs aſſiſtendo ob eamdem rationem; quia facit contra obliga-

tionem cenſuræ in re graui: Excõmunicatus enim, eſto ab alijs fidelibus ſit toleratus, ipſe tamen debet ſe abſtinere participare cum fidelibus in Diuinis officijs, pro vt ſunt auditio Miſſæ, horæ Canonicæ, Proceſſiones; publicæ benedictiones Candelarum, & Oliuarum, & ſimiles cæremonię, quibus omnibus excommunicatus priuatur, & ratio eſt, quia Concilium Conſtanſienſe, vt ſupra diximus, non permiſit excommunicatis nõ denunciatis participare cum fidelibus in Diuinis officijs, ſed tantum quo ad externam confabulationem. Permiſit tamen fidelibus, vt neque in Diuinis teneantur vitare excommunicatos non denunciatos.

Infertur tertiò, fideles non peccare participando, & conuerſando cum excommunicatis toleratis, etiam in Diuinis officijs, quinimò neque peccare Sacerdotem, ex vi cenſuræ, adminiſtrando sacramenta excommunicato tolerato, neque vllam pœnam incurrere, quia nulla reperitur pœna in Iure ſtatuta contra adminiſtrantes sacramenta excommunicatis non denunciatis: Dixi ex vi cenſuræ, quia ſi Sacerdos ſcienter sacramenta adminiſtret excommunicato tolerato, peccat mortaliter ex vi præcepti Diuini, quo cauetur, non eſſe Sancta Canibus danda: Excommunicatus enim, quamuis toleratus indignè petit sacramenta; ergo Sacerdos præbendo sacramenta indignè petentibus, mortaliter peccat, niſi fortè fuerit occultus peccator, quo caſu ad euitanda ſcandala, poterit illi sacramenta adminiſtrare.

Infertur vltimò, Confeſſionem factam cum Confeſſario excommunicato tolerato validam eſſe ſecundum Bonac. diſp. 2. qu. 2. punc. 1. §. 1. nu. 8.

& ra-

& ratio eſt, quia Pœnitens non tenetur ex vi Concilij Conſtanſ. vitare excommunicatum toleratum, ergo ex parte ſua valida eſt Confeſſio, ita pariter valida eſt ex parte Confeſſarij, quia habet auctoritatem abſoluendi, cum ſit toleratus. Verum hæc opinio non eſt tuta, imò nimis formidoloſa, quia ſi Confeſſarius peccat adminiſtrando sacramentum, peccat adhuc & Pęnitens petendo, abſque præciſa neceſſitate, quia cooperatur peccato Confeſſarij, & conſequenter ponit obicem ad gratiam, & ad sacramentum.

Sed quæres, in quid conſiſtat priuatio communicationis externæ cum excommunicato vitando? Hoc eſt, in quibus actionibus teneamur vitare excommunicatos vitandos?

Reſpondetur, cum excommunicato vitando prohibitæ ſunt omnes actiones, quæ in hoc verſiculo continentur. Effectus maioris excommunicationis.

Os, Orare, Vale, Communio, Menſa negatur.

Per particulam Os intelligitur allocutio, ſeù confabulatio, ſiuè per litteras, ſiuè per nutus, ſiuè per nuncios, oſcula, tactus, amplexus, acceptatio munerum, & ſimilia: Per parti ulam Orare intelligitur oratio, quæ non poteſt fieri cum excommunicato vitando, neque cuipiam licet orare pro huiuſmodi excōmunicato publicè, vt dictum eſt ſupra.

Per verbū Vale intelligitur salutatio, ſeù reſalutatio eo quo prohibitum eſt ſalutare, vel reſalutare excommunicatum vitandum; Aliqui verò DD. dicunt licitum eſſe ſalutare, vel reſalutare excommunicatum per ſigna tantum, pro vt aperiendo caput, aſſurgendo, &c. quæ ſententia probabilis eſt.

Per verbum, Communio, intelligitur ſocietas, vel

vel cohabitatio cum excommunicato, vel cum ipſo contrahere, negotiari, & ſimilia: Per particulam denique, Menſa, intelligitur edere, & bibere in eadem menſa cum excommunicato.

Minor excommunicatio quid ſit.

Excommunicatio minor eſt Cenſura Eccleſiaſtica ſeparans excommunicatum à paſſiua sacramentorum participatione; & dicitur minor reſpectu maioris, quæ non ſolum priuat Chriſtianum participatione ſacramentorum paſſiua, ſed etiam actiua, ac omnibus ſuffragijs fidelium communibus; Et hæc excommunicatio minor contrahitur participando cum excommunicato vitando affecto maiori excommunicatione, vt eſt tex. in cap. excommunicatos, & cap. cum excommunicato 11. quæſt. 3. quæ excommunicatio minor contrahitur etiam ab eo, qui participauerit cum excommunicato vitando mortuo, puta veſtiendo cadauer excommunicati, vel illud Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradendo, aut aſſociando, &c. vt ait Gl. in c. ad hæc, de priuil. & Abb. in cap. Sacris, de ſepul.

Effectus minoris excommunicat.

Effectus minoris excommunicationis ſunt duo, primus eſt priuatio electionis, affectus enim minori excommunicatione non poteſt licitè eligi, aut præſentari ad beneficia Eccleſiaſtica, dixi licitè, quia ſi de facto eligatur vel præſentetur ad beneficium valida eſt electio, ſed mortaliter peccaret recipiendo beneficium, quia faceret contra præceptum Eccleſiæ in re graui, cap. ſi celebrat, de Clerico excommunicato miniſtrante.

Secundus effectus eſt priuatio paſſiua sacramentorum participatione, vnde affectus minori excommunicatione peccaret mortaliter, ſi ſacramenta reciperet, minimè verò incurreret Irregularitatem,

quia hæc irregularitas non eſt expreſſa in Iure. Aliqui verò DD. putant affectum minori excommunicatione adhuc peccare mortaliter adminiſtrãdo ſacramenta, ſed hæc opinio non videtur probabilis, quia minor excommunicatio priuat tantum paſſiua ſacramentorum participatione non autem actiua. Sic etiam dicat de electione, vel præſentatione actiua ad beneficium, qua affectus minori excommunicatione minimè priuatur.

Aliquando quis excuſatur à contrahenda excommunicatione, & alia quauis cenſura, & hoc dupliciter accidit, primo ob ignorantiam, ſecundo ob metum.

Quælibet itaque ignorantia tàm Iuris, quàm facti excuſat ab incurrẽda excommunicatione dummodo ignorantia ſit probabilis. Ille enim, qui ignorat aliquod delictum prohibitum eſſe ſub pœna excommunicationis, licet alias ſciat illud delictum eſſe prohibitum Iure naturę, aut Diuino, non incurrit excommunicationem, ſi illud delictum commiſerit, & ratio eſt, quia licet ipſe peccet contra Ius naturæ, vel Diuinum, non peccat contra præceptum Eccleſiæ. Igitur non dicitur contumax Eccleſiæ, & conſequenter non incurrit pęnam impoſitam ab Eccleſia, ita Nauarr. cap. 27. nu. 16. & alij, oppoſitum verò tenet Couar. in cap. Alma mater §. 10. nu. 6. Cauſæ, quę excuſãt ab excommunic.

Ignorantia verò culpabilis, ſeù vincibilis non excuſat ab excommunicatione incurrenda, ſiuè ſit circa Ius, ſiuè circa factum, puta ſi quis dubitauerit, aliquod delictum fuiſſe prohibitum ſub excommunicatione, & non curauit veritatem inueſtigare, non excuſatur ab excommunicatione ſi delictum

illud

illud patrauerit; & ratio eſt,quia ignorantia culpabilis ſi non excuſat à culpa,neque excuſat à pęna : Si verò excommunicatio lata fuerit his verbis : Qui pręſumpſerit hoc facere,excommunicationem incurrat,putat Bonac. probabiliter, excuſare ignorantiam vincibilem ; quia Superior dicit ipſe, his verbis videtur exigere temeritatem, & contemptum prouenientem ex certa ſcientia, ad hoc vt delinquens incurrat excommunicationem.

Secunda cauſa, quæ excuſat ab excommunicatione eſt metus,ratio eſt,quia metus, dummodo ſit cadens in conſtantem virum, ideſt metus grauis excuſat à contumacia contra legem Eccleſiaſticam, quia Eccleſia, quæ eſt benigna Mater non obligat cum rigore,ergo ceſſante contumacia,ceſſat,& cenſura,quæ eſt pęna indicta contumaciæ; Et ob eamdem rationem ille qui redditur impotens ad obſeruandum præceptum Eccleſiæ excuſatur ab excommunicatione hinc eſt,quod ſi lata fuerit excommunicatio contra retinentes bona aliena, eum qui propter impotentiam nõ reſtituit non affici excommunicatione, quia ſi impotentia excuſat à contumacia, & peccat, excuſat etiam à pœna cenſuræ, quæ incurritur ob peccatum.

Ab excommunicatione quando eſt reſeruata, non poteſt alius abſoluere quam ille à quo lata fuit, aut à ſuo Superiore, vel Succeſſore : quando verò cenſura non eſt reſeruata, poteſt abſolui à quolibet Confeſſario, dummodo ſit lata per ſententiam generalem, vel à Iure, quia ſi lata fuerit ab homine, per ſententiam particularem contra particularem aliquam perſonam, abſoluenda eſt ab eo, à quo lata fuit, ita communiter omnes.

CA-

CATALOGVS

SVSPENSIONVM IVRIS COMMVNIS, Ob Delicta commiſſa in ſuſceptione Ordinum.

1 Contra recipientes Ordines ante legitimam ætatem fertur ſuſpenſio ab executione Ordinum, à qua poſſunt abſolui ab Epiſcopo. Bulla Pij 2. cum ex ſacrorum.

2 Contra ſuſcipientes Ordines per ſaltum fertur eadem ſuſpenſio, Epiſcopo reſeruata, cap. vnico, de Clerico promoto per ſaltum. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14.

3 Contra ſuſcipientes Ordines extrà tempora: Lata eſt eadem ſuſpenſio cap. vlt. diſt. 75. & cap. de eo, de temp. ord. quæ poteſt abſolui ab Epiſcopo.

4 Contra ſuſcipientes Ordines non ſeruatis debitis Interſtitijs, eadem ſuſpenſio Papæ reſeruata, cap. litteras, de temp. ord.

5 Contra ſuſcipientes Ordines ſimoniacè fertur ſuſpenſio ab executione ordinum, & ab alijs recipiendis, quæ Iure nono eſt Papæ reſeruata. Extrauag. 2. de ſim. & etiam fertur excommunicatio reſeruata. Bulla Sixti v. ſanctum, & ſalutare.

6 Contra ſuſcipientes Ordines dum ſunt irretiti aliqua cenſura fertur ſuſpenſio ab executione ordinis ſuſcepti cum excommunicatione Papæ reſeruata. cap. cum illorum, de ſent. excom.

7 Contra Coniugatos ſuſcipientes Ordines ſuſpenſio Papæ reſeruata, Extrauag. vnica, de voto, & voti redempt.

Con-

8 Contra Ordinatos cum titulo ficto, ſuſpenſio ab executione ordin. quæ poteſt abſolui ab Epiſcopo. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. cap. neminem diſt. 7.

9 Contra Ordinatum ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit: eſt ſuſpenſio Papæ reſeru. ſi ſcienter fuit contracta, cap. primo, de Ordinato ab Epiſcopo, qui Epiſc. renunc.

10 Contra Ordinatum ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, interdicto, irregul. ſimoniaco, hæretico, vel ſciſmatico, eſt ſuſpenſio Papę reſer. ſi ſcienter fuit contracta, cap. 1. qu. 1.

11 Contra Ordinatum ab alieno Epiſcopo, ſine Dimiſſoria, fertur ſuſpenſio ab executione ord. donec à proprio Epiſcopo fuerit abſolutus, cap. primo, & 3. diſt. 71. Trid. ſeſſ. 23. cap. 8.

12 Contra Ordinatum à ſuo Epiſcopo in aliena Diœceſi, ſine licentia Ordinarij loci, ſuſpenſio non reſeruata. Trid. ſeſſ. 6. c. 5.

Suſpenſiones ob Delicta commiſſa in exercitio Ordinum.

13 Contra Clericos exercentes functiones in loco Interdicto, aut facientes ibi celebrari, fertur ſuſpenſio, ſeù potiùs interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, Papæ reſeru. cap. Epiſcoporum, de priuil. in 6.

14 Contra Sacerdotem, vel Epiſcopum, omittentem ſine cauſa Miſſam inchoatam eſt ſuſpenſio per annum à celebrat. non eſt reſeruat. cap. nullus Epiſcopus, de conſec. diſt. 1.

15 Contra Sacerdotem non ſe communicantem in Miſſa, quam celebrat, eſt ſuſpenſio per annum à com-

à communione Corporis,& Sanguinis Domini; Papæ reſer. cap. relatum,de conſ. diſt. 2.

16 Contra Confeſſarios non ſeruantes formam præſcriptam à Sac. Cong. die 10. Iul. 1625. in Confeſſionibus audiendis; hoc eſt primò, vt nõ audiant domi confeſſiones: ſecundò,vt dum audiunt Confeſſiones mulierum infirmarum, hoc faciant ianua cubiculi aperta: tertiò, vt ſint induti ſtola,& cotta, dum Confeſſiones audiunt in Eccleſia, fertur ſuſpenſio ab audiendis confeſſionibus; non eſt reſeruata.

17 Contra Parochum coniungentem aliquos in Matrimonium, abſque licentia proprij Parochi, eſt ſuſpenſio reſeru. proprio Epiſcopo, ſcilicet Epiſcopo proprij Parochi. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1.

18 Contra recipientes oblationes ab Vſurarijs manifeſtis, aut eos ſepelientes, eſt ſuſpenſio ab officio, donec reſtituat, & Epiſcopo ſatisfaciat, ante ſatisfactionem eſt Papæ reſeruata, cap. quia in omnibus, de vſur.

Ob Delicta commiſſa in Beneficijs, & Adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum.

19 CONtra eligentes Epiſcopos, aut Curatos animarum, non ſeruata forma præſcripta in cap. cum in cunctis, de elect. eſt ſuſpenſio per triennium à beneficio, & pro ea vice priuatur Iure eligendi, eſt Papæ reſeru.

20 Contra Epiſcopos, aut alios Collatores admittentes reſignationem beneficiorum, contra formam Bullæ Pij v. Quanta Eccleſię, eſt ſuſpenſio à collatione beneficiorum, Papæ reſeruata,

vide Quar. in bullario verb. beneficium.

21 Contra Compromiſſarios eligẽtes indignum ad Epiſcopatum, ſuſpenſio per triennium à benefic. Papæ reſeru. cap. ſi compromiſſarius, de elect. in 6.

22 Contra confirmantes electionem indigni ad curam Animarum eſt ſuſpenſio ferendæ ſententiæ, in cap. nihil eſt, de elect. quæ non afficit Epiſcopos.

23 Contra Epiſcopum cõſecrantem Epiſcopum, non facta prius inquiſitione, de qua in cap. prouida, & cap. quamuis, de elect. eſt ſuſpenſio per annum à conſecratione.

24 Contra Epiſcopum promouentem Regularẽ ad Clericatum abſque licentia ſui Superioris, eſt prohibitio non ſuſpenſio, cap. ſi quis diſt. 58.

25 Contra Electores Epiſcoporum, qui electionem infrà octo dies electo non præſentauerint, eſt ſuſpenſio per triennium à fructibus beneficiorum, Papæ reſer. cap. cupientes, de elect. in 6.

26 Contra impugnantes electionem ob aliquod delictum, quod, ſi illud poſteà non probauerint, fertur ſuſpenſio per triennium à beneficijs, cap. ſtatuimus, c. ſi compromiſſarius, de elect. in 6.

27 Contra Epiſcopos, Abbates, alioſuè Prælatos, qui adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum ſuſceperint abſque litteris Apoſtolicis, fertur ſuſpenſio à perceptione fructuum, Papæ reſeruata, Extrauag. iniunctæ, de elect.

28 Contra Epiſcopos non ſeruantes Extrauag. ſuſcepti Regiminis, ne Sede vacante, fertur ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ, & Pontificalibus.

29 Contra Epiſcopos, alioſque Prælatos priuantes

ſes beneficio eos,qui in Romana Curia commorantur,lata eſt ſuſpenſio indefinita in Extrauag. Diuina, de Priuil. Pro ſuſpenſione abſolutè lata intelligitur ſuſpenſio ab officio, & beneficio: Suar. de cenſ. diſp. 31. ſect. 3. num. 15. hæc ſuſpenſio non eſt reſeruata.

30 Contra Electores,quando in electione ad beneficia Eccleſiaſtica vtuntur auctoritate, aut interuentu laicorum.Cõminatur ſuſpenſio ab officio,& beneficio,& priuatione Iuris eligẽdi,& vltrà electio eſt nulla, cap. quiſquis,de Electione.

31 Contra Epiſcopos procurantes, Clericos capi à Dominis temporalibus, ad effectum, vt illi beneficia reſignent, vel vt citati ad Sedem Apoſtolicam non accedãt, fertur ſuſpenſio per triennium à benef. Clem. multorum,de pęnis.

32 Contra Beneficiatos grauantes Eccleſiam pro alienis debitis,fertur ſuſpenſio ab adminiſtratióne temporalium,& ſpiritualium,donec Eccleſię fuerit ſatisfactum. cap. ſi quorundam,de ſolut.

33 Contra occupantes(*Sede vacante*) bona Eccleſiæ,vel emolumenta pertinentia ad Prælatum Defunctum,vel ad Succeſſorem,fertur ſuſpenſio ab officio,& beneficio,donec reſtituant, vel remiſſionem obtineant à Prælato, cui debentur. cap. quia ſæpè, de Elect. in *6.* ante reſtitutionẽ, eſt reſeruata Papæ.

34 Contra Prælatos,& beneficiatos, qui bona Eccleſiarum làicis ſubmittunt, eſt ſuſpenſio per triennium ab officio,& adminiſtratione,cap. hoc conſultiſſimo,de reb. Eccl. non alien.

35 Contra Prælatos alienantes bona Eccleſiaſtica,ſine aſſenſu Apoſtolico, fertur ſuſpenſio ab

adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ. Extrauag. ambitioſæ, de reb. Eccl. non alien. non eſt reſeruata.

36 Contra Epiſcopos, vel alios Delegatos conſenſientes alienationi bonorum Eccleſiaſticorũ, fertur ſuſpenſiò ab officio, Bulla Paul. 2. cum omnibus, non eſt reſeruata.

Suſpenſiones Contra Epiſcopos ob Delicta commiſſa in Ordinationibus, & Pontificalibus.

37 Contra præſumentes conferre primam tonſuram Infanti fertur ſuſpenſio per annum à collatione primæ tonſuræ. cap. nullus, de temp. Ordin. eſt Papæ reſeruata.

38 Contra Ordinantes Inuitum fertur ſuſpenſio per annum à celebratione Miſſarum, cap. Epiſcopus, diſt. 74.

39 Contra Ordinantem Sacerdotem indignum, ſeù minus idoneum, comminatur ſuſpenſio à collatione Ordinis Sacerdotalis, cap. ſi qui Epiſcopi 1. qu. 1. Dixi, comminatur, quia probabiliter puto, eſſe ferendæ ſententiæ.

40 Contra præſumentem conferre primam tonſuram illitterato, fertur ſuſpenſio per annum à collatione primæ tonſuræ, cap. nullus, de temp. ord.

41 Contra conferentes primam tonſuram Coniugato, fertur eadem ſuſpẽſio, dicto cap. nullus.

42 Contra conferentes Ordines Clerico bigamo fertur ſuſpenſio per annum à celebratione Miſſarum, cap. nullus pęnitentem, diſt. 55.

43 Contra Ordinantes non ſubditum, ſine licentia ſui Ordinarij, fertur ſuſpenſio per annum à

colla-

collatione Ordinum, cap. nullus, de temp. ord. Trid. ſeſſ. 23. cap. 8. & ſeſſ. 14. cap. 2.

44 Contra conferentes duos ſacros Ordines eodem die, fertur ſuſpenſio à collatione vtriuſque ordinis, Papæ reſeruata, cap. litteras, de temp. ord. Trid. ſeſſ. 23. cap. 13.

45 Contra conferentes Ordines ſacros alicui ſine ſufficienti Patrimonio, pacto adiecto, vt ordinatus nihil petat ab Epiſcopo in defectum beneficij, vel patrimonij, fertur ſuſpenſio per triennium à collatione ordinum, cap. ſi quis ordinauerit, de ſim.

46 Contra conferentes Ordines Religioſo antequam ille profeſſionem emittat, fertur ſuſpenſio per annum à collatione illius ordinis, quem cõſulit Bulla Pij v. Romanus Pontifex 57.

47 Contra conferentes Ordines ſimoniacè, fertur ſuſpenſio à collatione ordinum, & à Pontificalibus, ac Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ Papæ reſeruata, Bulla Sixti v. Sanctum, & ſalutare cap. 2. & cap. penult. de ſimon.

48 Contra Epiſcopos exercentes Pontificalia in aliena Diœceſi ſine licentia Ordinarij loci, fertur ſuſpenſio à Pontificalibus. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. non eſt reſeruata.

Aliæ Suſpenſiones Contra Epiſcopos, Beneficiatos, & Sacerdotes, ob alia delicta.

49 Contra Epiſcopum concubinarium, ſi poſt admonitionem Synodi Prouincialis non reſipiſcat, fertur indefinita ſuſpenſio à Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. Indefinita ſuſpenſio eſt ab officio, & beneficio.

Con-

50 Contra Epiſcopos ingrediētes Monaſterium Monialium ſine neceſſitate, pro prima vice fertur Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; ſecunda vice, fertur ſuſpenſio à Diuinis; pro tertia vice excommunicatio. Bulla Greg. 13. Vbi gratiæ. Quas cenſuras non eſſe reſeruatas tenet Fagn. cap. nuper nu. 37. de sent. excom.

51 Contra præſtantes Iuramentum de tenendo ſchiſmate fertur ſuſpenſio ab ordinibus, & dignitatibus, cap. 1. de ſchiſmat. non eſt reſeruata.

52 Contra impugnantes Conceptionem B.M.V. feruntur plures ſuſpenſiones à diuerſis Summ. Pontificibus.

53 Contra Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Patriarchas locātes domus Vſurarijs Alienigenis, fertur ſuſpenſio abſoluta cap. vſurarum, de vſuris.

54 Contra Beneficiatos Clericos, & Sacerdotes vtentes veſtibus vetitis, fertur ſuſpenſio per ſex menſes à perceptione fructuum beneficij, & aliæ pęnæ, de quibus in Clem. quoniam, de vita, & honeſtate Cleric. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. de refor. & ſeſſ. 22. c. primo, de refor.

55 Contra deferentes laudem, & honorem cultus illis, qui ab hac vita, cum fama ſanctitatis migrauerunt; hæc ſuſpenſio eſt ferendæ ſententiæ. Decretum Sac. Inquiſitionis 4. Aprilis 1625.

***

Aliæ Suſpenſiones
Contra
Epiſcopos, & Iudices Eccleſiaſticos ob Delicta commiſſa in Iudicijs, & Viſitationibus.

56 Contra proferentes ſententiam excommunicationis, abſque competenti præuia admonitione, fertur Interdictum per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ. cap. Sacro, de ſent. excom. Et ita pariter ferentes cenſuras, ſine ſcriptis, vel ſine expreſſę cauſæ, aut non tradentes copiam ſententiæ infra menſem, dum fuerit requiſitus, ſuſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & à Diuinis per menſem, cap. cum medicinalis, de ſententia excom. in 6. & abſolutio eſt reſeruata Pontifici.

57 Contra conſeruatores, qui de alijs, quam de manifeſtis iniurijs cognoſcunt. cap. hac conſtitutione de officio legati in 6. hæc ſuſpenſio eſt ab officio per annum.

58 Iudices Eccleſiaſtici, qui odio, vel amicitia alicuius, aut per ſordes, ſcilicet per pretium, grauant partes in Iudicio, ſuſpenduntur ab officio per annum, cap. cum æterni, de ſententia, & re iudicata.

59 Epiſcopus recipiens aliquod in viſitatone vltra victualia, etiam à ſpontè dantibus, niſi infra menſem reſtituat, duplum interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ; Inferiores Pręlati ſunt ſuſpenſi. cap. Romana, cap. exigit, cap. felicis, de cenſ. Triden. ſeſſ. 24. cap. 3. de refor. Hæc cenſura durat, donec à Viſitatore reſtituatur duplum, qua reſtitutione facta ceſſat cenſura abſque alia abſolutione, quia omnis cenſura lata ſub conditio-

ne, aut ad certum tempus, eo elapſo, vel conditione ceſſante, ceſſat & ipſa cenſura, Gl. in d. cap. exigit, verb. quo elapſo.

60 Contra Doctores Collegij non obſeruantes in doctorando aliquem id quod præſcribitur in Clem. cum ſit de Magiſtris, fertur ſuſpenſio per ſex menſes; Non eſt in vſu.

61 Epiſcopus, ſi poſt factum Concilium Prouinciale, non conuocat Præsbyteros, & Clericos ſuæ Dioeceſis, vt eis referat decreta edita in Cõcilio per duos menſes eſt ſuſpenſus, cap. decernimus, diſt. 18. Non eſt in vſu, vt ait Suar. diſp. 21. ſect. 5. nu. 7.

62 Epiſcopi, & Archiepiſcopi non accedentes ad Limina Apoſtolorum ſtatuto tempore. Sunt interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ac ſuſpenſi ab adminiſtratione, & à fructuum ſuę Eccleſię perceptione. Ex Bulla Sixti v. Romanus Pontifex 15. Abſolutio eſt reſeruata Papæ, etiam ſi reſipuerint.

63 Epiſcopi concedentes Indulgentias ob quæſtum pecuniarum, aut facultatem abſoluendi sũt interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & à perceptione fructuum; Abſolutio eſt Papæ reſeruata. Bulla Pij v. Quam plenum 99.

64 Epiſcopi relaxantes Incendiarijs pœnã contra ipſos præſcriptam in cap. peſſimam 23. qu. 8. Suſpenditur ab officio Epiſcopali per annum, & ad damni reſtitutionem tenetur.

65 Epiſcopi non corrigentes Simoniacos in Sacramentis, incurrunt excommunicationem duorum menſium, cap. quicquid 1. qu. 1. nomine excommunicationis intelligitur ſuſpenſio, iuxta

Gl. in

Gl. in dicto cap. quia excommunicatio non fertur ad tempus.

Contra Religioſos.

66 Religioſus, qui non dum facta profeſſione ſuſcipit Ordines, remanet ipſo Iure ſuſpēſus. Bulla 75. Pij v.

67 Abbates concedentes litteras Dimiſſoriales non ſibi ſubditis, per annum ſunt ſuſpenſi ab officio, & beneficio. Trid. ſeſſ. 23. c. 10.

68 Abbates ſuſcipientes adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum, ſine litteris Apoſtolicis ſunt ſuſpenſi ab adminiſtratione fructuum earumdē Eccleſiarum, Extrauag. 1. de elect.

69 Religioſus Coniungens aliquem in Matrimonio ſine licentia Parochi eſt ipſo Iure ſuſpenſus, Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. de refor. abſolutio pertinet ad Epiſcopum.

70 Contra Religioſos Mendicantes admittentes aliquem ad profeſſionem, anno non dum expleto, fertur ſuſpenſio in cap. non ſolum, de Regul. in 6. non eſt reſeruata.

71 Contra Religioſos Viſitatores recipientes munera in Viſitatione, fertur ſuſpenſio ab officio, & beneficio, niſi infra menſem duplum reſtituerint. cap. exigit, de cenſibus, vide quæ dixi n. 58.

72 Prælati Religioſi concedentes alicui poſſeſſiones, Iura, vel Redditus ſuarum Eccleſiarum ſunt ſuſpenſi ab officio tàm Ordinis, quàm Iuriſdictionis. Clem. 1. de reb. Eccl. non alienand. Abſolutio poteſt conferri ab Epiſcopo.

73 Contra Religioſos impedientes Decimas, aut

ſibi vſurpantes, fertur ſuſpenſio ab officio, & beneficio, donec deſtiterint, vel ſatisfecerint; Quod ſi nec officia, nec beneficia habeant, excommunicationis vinculo ligantur, à qua non poſſunt abſolui, niſi facta reſt. Clem. 1. de Decimis.

74 Religioſi non admonentes Pęnitentes de onere ſoluendi Decimas, ſunt ipſo Iure ſuſpenſi ab officio Pręđicandi, donec pęnitentibus ipſis cõſcientiam fecerint. Clem. Cupientes, de pęnis.

75 Prælatus Religioſus non ſatisfaciens partibus ad ſe venientibus ob aliquod exceſſum commiſſum ab aliquo Religioſo ſibi ſubdito intra mensẽ, eſt ſuſpenſus, donec ſatisfecerit. Clem. 1. §. Cęterum, de Priuil.

76 Religioſus Apoſtata recipiens Ordinem Sacrum in Apoſtaſia remanet ipſo Iure ſuſpenſus, etiam poſt reconciliationem Apoſtaſiæ, cap. hi qui diſt. 50. Potius eſt irregularitas, quam ſuſpenſio. cap. Conſultationi, de Apoſtaſis: Eſt Papæ reſeruata.

77 Religioſus eiectus à Religione remanet ſuſpenſus ab exercitio ordinum. Sacra Congregatio 21. Sept. 1624. approbante Vrban. Pap. 8.

78 Religioſi introducentes Mulieres in Monaſterijs, incurrunt ſuſpenſionem à Diuinis, priuãtur beneficijs, & inhabilitantur ad ea. Bulla Pij v. Regularium.

79 Contra Monochos nigros non vtentes habitu iuxta formam præſcriptam in Clem. 1. cap. ſi quis autem, de ſtatu Monach. fertur ſuſpenſio per annum.

80 Contra eoſdem Monachos intereſſentes Venationibus, fertur ſuſpenſio per biennium ab officio,

ficio,& collatione beneficij, dicta Clem. 1.

81 Contra Fratres Ordinis Prædicatorum perturbantes Fratres Minores in exercitio Inquiſitionis, & ècontra, fertur ſuſpenſio ab exercitio Ordinum ; Papæ eſt reſeruata abſolutio. Bulla Clem. 4. Paupertatis altiſſimæ.

82 Domenicani aſſumpti ad Epiſcopatum,ſi ante Conſecrationem non reſtituunt ſuæ Religioni Libros, quos penes ſe habebant tempore promotionis, ſunt ſuſpenſi à Pontificalibus; Et eſt Papæ reſeruata. S. Antonin. de ſuſpenſ. p. 3. tit. 27. cap. 4.

Contra Capitula, & Conuentus.

83 Contra Capitulum,aut Conuctum, qui Epiſcopum,vel Prælatum Religioſum à Sede Apoſtolica prouiſum receperint abſque Litteris Apoſtolicis, ſcilicet abſque bullis, aut illi obediunt,fertur ſuſpenſio à beneficijs reſeruata Papæ, Extrauag. 1. de elect.

84 Contra Capitulum, vel Collegium dilapidãtem,Sede vacante, bona ad Prælatum defunctũ, vel ad Eccleſiam,aut Succeſſorem pertinentia, fertur ſuſpenſio ab officio, & beneficio, donec ſatisfecerint, cap. quia, de elect. eadem ſuſpenſio fertur contra ſingulares de Capitulo.

85 Contra recipientes pecuniam, vel munera,ob receptionem alicuius in Religionem, fertur ſuſpenſio ab officio,& beneficio, Papæ reſeruata. Clem. Sanè,de Simonia.

86 Contra Capitulum, & ſingulos de Capitulo admittentes reſignationem beneficiorum, extrà

cauſas, & formam Bullæ Pij V. Quanta Eccleſiæ, fertur ſuſpenſio à collatione, præſentatione, & inſtitutione beneficij; & facientes contra iſtam ſuſpenſionem, incurrunt ſuſpenſionem à Diuinis Papæ reſeruatam.

87 Contra admittentes Nouitium ad Profeſſionem non expleto probationis anno, de qua dictum eſt ſupra contra Religioſos.

88 Contra præſumentes impedire, & perturbare, quæ pro Eccleſia Toloſana ſtatuta ſunt, in Extrauag. Salubriter, de Præb.

Suſpenſiones dubiæ.

1 Clericus publicus Peccator videtur eſſe ipſo Iure ſuſpenſus per cap. fin. de temp. ordin. ſed alij communiter negant.

2 Committens crimen Sodomiæ eſt ſuſpenſus ſecundum Couar. Lambert. de Iure pat. p. p. lib. 12. qu. 9. art. 18. nu. 4. Clar. in pract. crim. §. Sodomia verſ. Item Clericus. Contrarium verò eſt verius, quia non eſt expreſſa in Iure hæc cenſura, Suar. diſp. 3. ſect. 4. nu. 19.

3 Clericus raptor mulieris eſt ipſo Iure ſuſpenſus, ait Dian. in praxi Can. cap. 78. Negat tamen Suarez, de cenſ. diſp. 31. ſect. 4. nu. 48. ſed eſt ſuſpendendus, & ipſo facto eſt excommunicatus.

4 Clericus Notorius concubinarius, aut fornicator eſt ipſo Iure ſuſpenſus; Silueſter verb. Concubinarius §. 4. Dian. ſupra cap. 79. nu. 2. quæ ſuſpenſio habetur in cap. nullus diſt. 32. & cap. vlt. de cohabit. Cler. & Mul. Tolet. lib. 1. cap. 47. Alij hoc affirmant in Clerico in ſacris tantum,

tum, Couar. in Clem. ſi furioſus p. 1. §. 1. nu. 5. de homic. Veritas eſt, quod Iure nouo non eſt ſuſpenſus ipſo Iure, ſed ſuſpendendus, excepto Epiſcopo, qui poſt admonitionem remanet ipſo Iure ſuſpenſus. Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. de ref.

5 Simoniacum in beneficio vltra excommunicationem quam incurrit Papæ reſeruatam, eſſe adhuc ipſo Iure ſuſpenſum ab ordine, & beneficio, tenet Silu. verbo ſuſpenſio quæſt. 6. Alij autem dicunt eſſe ſuſpendendum; quia hæc ſuſpenſio, ob ſimoniā, quo ad beneficium non eſt expreſſa in Iure, ita Nauarr. Suar. & alij apud Bonac. diſput. 3. qu. 8. pun. 5.

6 Clericum pugnantem in duello eſſe ipſo Iure ſuſpenſum, ait Silu. in verbo ſuſpenſio §. 6. verſ. vndecimo; Alij autem tenent eſſe quidem excommunicatum, minimè verò ſuſpenſum, ſed ſuſpendendum, ita Nauarr. apud Bonac. vbi ſupra punc. 6.

Expoſitio ſuſpenſionum.

PRo intelligentia prædictarum ſuſpenſionum omnium iam recenſitarum ſciendum eſt primò: Suſpenſionem eſſe cenſuram, ſeù pęnam quandam Eccleſiaſticam, qua Clericus impeditur, ne functiones exerceat ſui officij, ordinis, vel beneficij in perpetuum, vel ad tempus. Et hæc differt ab Interdicto, tùm quia Interdictum priuat vſu paſſiuo, perceptione ſcilicet Sacramentorum, vel ingreſſu Eccleſiæ: ſuſpenſio verò priuat vſu actiuo adminiſtrandi, celebrandi, &c. Tùm etiam quia Interdictum fertur tàm contra Eccleſiaſticos, quàm contra Sæculares; Suſpenſio autem contra Eccleſiaſti-

ſiaſticas perſonas dumtaxat vrget.

Sciendum eſt ſecundò, quod ſuſpenſio multipliciter fertur

Primò ab officio.

Secundò à beneficio.

Tertiò ab officio, & beneficio.

Quartò fertur ſuſpenſio à Diuinis.

Quintò ab adminiſtratione Eccleſiæ.

Sextò aliquando fertur ſuſpenſio abſolutè.

1 Suſpenſio ab officio comprehendit officium ordinis, & Iuriſdictionis, ſeù poteſtatis, quam habet (niſi fuerit reſtricta ad aliquem effectum particularem;) hinc eſt quod ſi Parochus fuerit ſuſpenſus ab officio abſolutè, abſque alia reſtrictione, cenſetur ſuſpenſus ab officio ordinis, & iuriſdictionis, & conſequenter non poterit, nec celebrare, quod eſt officium ordinis; nec Sacramenta adminiſtrare, abſoluere, excommunicare, &c. quod eſt officium Iuriſdictionis, & poteſtatis, quam habet: Ratio eſt, quia vſus ordinis, & iuriſdictionis cōpetit ratione officij abſolutè prolati; ergo ſuſpenſus ab officio, ab vtroque vſu, ordinis ſcilicet, & iuriſdictionis, remanet ſuſpenſus, Suar. de cenſ. diſp. 26. ſect. 1. & communiter omnes, Tolet. cap. 43. nu. 3. contra Gloſ. in cap. audiuimus 24. qu. 1. quæ dicit quod ſuſpenſus ab officio intelligitur ſuſpenſus ab ordine non autem à iuriſdictione.

Si verò ſuſpenſio feratur ab officio ordinis tantum, non cenſetur ſuſpenſus ab officio iuriſdictionis; & ſic taliter ſuſpenſus poterit iuriſdictionem exercere; quia ordo non eſt neceſſariò adnexus iuriſdictioni, quæ adhuc ſine ordine exerceri poteſt, vt patet in Epiſcopo electo, qui ante conſe-

cra-

crationem poteſt excommunicare, abſoluere, beneficia conferre, & ſimilia omnia facere, quæ ſunt actus iuriſdictionis: Et ècontra ſuſpenſus à iuriſdictione poterit celebrare, quia officium ordinis eſt diſtinctum ab officio iuriſdictioni.

Sic pariter, ſuſpenſus ab aliquo effectu particulari iuriſdictionis, puta ab audiendis confeſſionibus, poteſt reliquos actus iuriſdictionis exercere, quia ſuſpenſio non operatur vltrà voluntatem ferentis.

2 Suſpenſio à beneficio operatur, vt taliter ſuſpenſus priuetur perceptione fructuum beneficij, quo caſu fructus ipſi conuerti debēt in beneficium Eccleſiæ: Nota tamen, quod ſi beneficium ſit ſibi aſſignatum in titulum Patrimonij, ſcilicet quod ad titulum illius beneficij fuerit ordinatus, tunc hoc modo ſuſpenſus non priuatur fructibus illius beneficij, vt optimè ait Sayrus cap. 6. nu. 15. de cenſ. Ratio eſt quia Patrimonium non eſt propriè beneficium, licet loco beneficij ſuccedat.

Si quæras, An ſuſpenſus à beneficio poſſit percipere diſtributiones quotidianas, ſi Diuinis interſit?

Reſp. diſtinguēdo: Aut diſtributiones debentur ratione beneficij, & tunc minimè debentur, quia diſtributiones conſiderantur, vt fructus beneficij; hinc eſt quod Canonicus ſuſpenſus à beneficio nō poteſt participare de diſtributionibus, quia hæ diſtributiones ſibi debentur ratione beneficij Canonicatus. Aut diſtributiones debentur ratione perſonalis ſeruitij, pro vt ſunt Anniuerſaria, celebrationes Miſſarum, &c. & tunc vtique debentur, vt ait Sayr. & alij apud Bonac. de cenſ. in gen. diſp. 3.

pun.

pun. 2. nu. 14. quia hæc emolumenta non ſunt propriè diſtributiones, neque intuitu beneficij acquiruntur, ſed potius officij.

Suſpenſus itaque à beneficio non cenſetur ſuſpenſus ab officio; & conſequenter poteſt iuriſdictionem, & ſuum officium exercere tàm ordinis, quàm iuriſdictionis, pro cuius exercitio poteſt aliquam moderatam quantitatem fructuum percipere, quanta ſcilicet arbitrio prudentis viri daretur ſubſtituto inſeruienti beneficio, ita Sayr. lib. 4. cap. 6. nu. 12.

Sic pariter è contrà ſuſpenſus ab officio non cenſetur ſuſpenſus à beneficio, vt magis communiter tenent DD. apud Bonac. vbi ſup. nu. 10. Tùm quia in pœnalibus non datur extenſio; Tùm etiam quia ſi ſuſpenſus ab officio cenſeretur adhuc ſuſpēſus à beneficio, ſupervacanea quidem eſſet ſuſpenſio ab officio, & beneficio, quæ in corpore Iuris aliquando reperitur lata, vt ergo hæc ſuſpenſio, nēpe ab officio, & beneficio aliquid operetur, neceſſariò fatēdum eſt: Suſpēſum ab officio nō cenſeri ſuſpēſum à beneficio; Verumtamen eſt quod huiuſmodi ſuſpēſus tenetur per ſubſtitutum onera beneficij perſoluere, alioquin non poſſet fructus beneficij percipere, quia beneficium datur propter officium.

3 Suſpenſio ab officio, & beneficio operatur vt hoc modo ſuſpenſus remaneat impeditus tùm ab officio ordinis, & iuriſdictionis, tùm à perceptione fructuum ſui beneficij, vel ſuæ Eccleſiæ.

4 Suſpenſio à Diuinis officijs operatur, vt taliter ſuſpenſus non poſſit celebrare, neque canere in Choro, aliaque Diuina perſoluere ex officio, poterit tamen Miſſam audire, Epiſtolam cantare,

ſine

ſine veſtibus ſacris, & Choro intereſſe, ac pſallere, vt laicus, quo caſu non dicitur pſallere ex proprio officio, ſed vt merus laicus; Ideoque de diſtributionibus non participat, ſecundum veriorem, & communiorem ſententiam.

An ſuſpenſus à Diuinis officijs, cenſeatur etiam ſuſpenſus ab officio Iuriſdictionis? Reſpondetur negatiuè, idcircò ſuſpēſus à Diuinis poteſt excōmunicare, beneficia cōferre, & Ius dicere, quia omnia hæc poſſunt fieri cum ſola prima tonſura, quæ non eſt ordo: Non poterit tamen Sacramenta adminiſtrare, quia licet Sacramentorum adminiſtratio ſit actus Iuriſdictionis, nihilominùs dependet ab ordine, & officio ordinis, quod includitur in ſuſpenſione a Diuinis officijs.

5 Suſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ operatur vt ſic ſuſpenſus non poſſit ſe ingerere in adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus pertinentibus ad ſuum officium, & iuriſdictionem; ideoque non poterit iuriſdictionem exercere, aut beneficia conferre, quinimò neque agere in Iudicio ſuper rebus pertinentibus ad ſuam Eccleſiam, neque denique Sacramenta adminiſtrare, quia omnia hæc ſunt actus Iuriſdictionis. Poterit tamen celebrare, quia hæc ſuſpenſio ab adminiſtratione, ſuſpendit officium Iuriſdictionis, ſed non ordinem, ideſt officium ordinis. Tolet. lib. 1. cap. 43. nu. *6.*

Notandum hic eſt à Tyronibus, quod ſuſpenſus à Iuriſdictione, ſeù Eccleſiæ adminiſtratione; ſi de facto Sacramenta adminiſtret, vel alia Iuriſdictionalia exerceat peccat quidem grauiter, quia facit contra ſuſpenſionem, ſed non efficitur irregularis.

Nam Irregularitas incurritur, quando ſuſpenſio eſt ab ordine, & ipſa violatur per exercitium ordinis, puta Sacerdos ſuſpenſus à Diuinis, celebrando incurrit Irregularitatem, quia violat ſuſpenſionem ordinis per exercitium ordinis, Sayr. cap. 7. nu. 6. & alij communiter.

6 Denique ſolet aliquando ferri ſuſpenſio abſolutè, abſque vlla limitatione, aut reſtrictione, puta qui commiſerit hoc crimen, ſit ipſo Iure ſuſpenſus: hæc ergo ſuſpenſio ſuſpendit ab omnibus, ſcilicet tàm ab officio tùm ordinis, tùm Iuriſdictionis, quàm à beneficio; quæ eſt maxima ſuſpenſio. Ratio eſt, quia ſuſpenſio generaliter lata, generaliter eſt accipienda, & conſequenter generales operatur effectus, & ita ab omnibus ſuſpendit. Toletus vbi ſupra nu. 5.

Sciendum eſt vltimò, ſuſpenſionē latam ad tempus, vel ſub conditione, ſcilicet donec ſatisfecerit, elapſo tempore, vel facta reſtitutione, ceſſat ſuſpēſio abſque vlla abſolutione, Gloſ. in Clem. Religioſi verbo donec, de Decim. Innoc. in cap. cum bonæ, de ætat. & qualit. & alij apud Tolet. cap. 46. num. 1.

Antequam vero tempus expiret, aut conditio adimpleatur, ſuſpenſio abſolui non poteſt, niſi ab eo, à quo lata fuit, etiam ſi reſeruata non fuerit; hinc eſt, quod omnes ſuſpēſiones latæ in Iure communi ad tempus, vel donec ſatisfecerit, etiam ſi non fuerint reſeruatæ, non poſſunt abſolui, niſi à Summo Pontifice, qui eſt conditor Iuris, ita Gloſ. in cap. cupientes verbo ſuſpenſus, de elect. in 6. & Gl. in Clem. Cupientes, de pęnis verbo excommunicationis. Tolet. vbi ſup. verſ. Dico ſecundo.

Interdicta contenta in Iure Communi.
Perſonalia Generalia.

1 Contra dantes cauſā Interdicto locali fertur Interdictū Perſonale: v.g. ſi Principes, vel Magiſtratus committant aliquod delictum ob quod Populus locali Interdicto ſupponitur, Princeps ipſe, vel Magiſtratus remanent interdicti perſonaliter, cap. ſi ſētētia, de sēt. excom. in 6.

2 Contra Capitulum, quod in Sede vacante infra annum concedit litteras dimiſſoriales ad ordines fertur interdictum, & contra Clericum ſic ordinatum ſuſpenſio, Trid. ſeſſ. 7. cap. 10.

3 Contra Laicos, & Vniuerſitates exigentes decimas, collectas, aut tributa a Laicis fertur Interdictum in cap. Clericis, de Imm. Eccl. in 6. In cap. non minus, de Imm. Eccl. fertur excommunicatio.

4 Vniuerſitates concedentes repreſſalias, vel cōceſſas extendunt contra Eccleſiaſticos, Eccleſiaſtico Interdicto ſupponuntur, particulares verò perſonę excommunicatione feriuntur, cap. vnico, de Iniur. in 6.

5 Vniuerſitas, Collegium, vel Capitulum appellantes à Summo Pontifice ad futurum Conciliū ſunt interdicti in Bulla Cœnæ.

6 Vniuerſitas, Capitulum, aut Collegium non ſeruantes Conſtitutionem Ioan. 22. circa perceptionem fructuum beneficiorum vacantium, Extrauag. vnic. Sede vac. Subiacent Interdicto.

7 Vniuerſitates locātes domus Vſuraris manifeſtis, ad fęnus exercendū ſubiacēt Interdicto lato in cap. vſurarum, de vſur. in 6.

8 FErentes excommunicationem abſque citatione, vel ſine ſcripto, aut cauſæ expreſsione ſunt interdicti per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ. cap. Sacro, cap. cum medicinalis, de ſent. excommunic.

9 Suſcipientes Epiſcopatum, aut aliam dignitatem de manu Laici, eſt Interdictus, quouſque reſipiſcat reſignando dignitatem, cap. ſi quis 17. quæſt. 7.

10 Epiſcopi, vel Abbates, qui in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum non ſeruant formam præſcriptam in Extrauag. Ambitioſæ, de reb. Eccl. non alien. incurrunt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & niſi reſipuerint infra ſex menſes, remanent ſuſpenſi ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus, & ſpiritualibus.

11 Epiſcopi occupantes aliquod ex redditibus Eccleſiarum vacantium ſunt interdicti in cap. præſenti, de off. ord. in 6.

12 Iudices Eccleſiaſtici priuantes Curiales Romanæ Curiæ beneficijs, eaque alijs concedentes ſunt excommunicati, & interdicti, Extrauag. 3. de priuil.

13 Violantes Interdictum locale generale, ſeù facientes celebrare in loco Interdicto, vel admittentes excommunicatos, & interdictos ad Diuina officia, Sacramenta, & Eccleſiaſticam ſepulturam incurrunt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfecerint ad arbitrium illius, cuius ſententiam neglexerunt. cap. Epiſcoporum, de priuil. in 6.

Ar-

14 Archiepiſcopus, qui intra tres menſes non deſert ad Sedem Apoſtolicam ſuos Suffraganeos non reſidentes vltra annum: Et Epiſcopus antiquior, qui non deſert Archiepiſcopum non reſidentem incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ latum in Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. de refor.

15 Epiſcopi, & Archiepiſcopi accipientes in Viſitatione aliquod vltra victualia, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. vide ſupra de ſuſpenſionibus nu. 59.

16 Prælati edentes, aut publicantes interpretationes circa Concilium Trid. incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; Alij vero inferiores incurrunt excommunicationem Bulla Pij 4. Benedictus Deus.

17 Clerici in Sacris fornicarij ſunt Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, donec emendentur, cap. ſi qui ſunt, diſt. 81. Tol. lib. 1. c. 47. Suar. diſt. 37. ſect. 1. num. 11.

18 Ab ingreſſu Eccleſię interdicuntur accipiẽtes plures eleemoſynas pro vna Miſſa celebranda.

Secundò, qui Miſſam celebrandam pro certa eleemoſyna accepit, ſi Miſſam alteri celebrandam committat, retenta ſibi parte eleemoſynæ.

Tertiò Epiſcopi reducentes onera Miſſarum.

Quartò, Capitula, aut Priores locorum piorum non deponentes pecuniam, aut mobilia Eccleſiæ penes ædem Sacram, aut tutam perſonam ad effectum rinueſtiendi in ſtabilibus.

Quintò, ſuſcipientes onera Miſſarum perpetua abſque licentia in ſcriptis ab Epiſcopo obtenta, vel à Prouinciali, ſi Regulares ſint.

Sextò, Capitula recipientes eleemoſynas pro cele-

bratione Miſſarum, ſi non dum alio oneri ſatisfecerunt. Imò & non amouentes capſulas, quas tenent in Eccleſia pro eleemoſynis Miſſarum. Sac. Cong. Concilij 22. Septemb. 1625.

19 Conferentes Ordines ſimoniacè interdicti sũt ab ingreſſu Eccleſiæ, & eſt Papæ reſeruatum. Bulla Sixti V. Sanctum, & ſalutare.

20 Cardinales, Epiſcopi, & alij Prælati recipientes Penſiones, aut beneficia in confidentiam sũt Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & eſt reſeruatum Papæ. Bulla P. 4. Romanus Pontifex.

Interdicta Localia Generalia, & Specialia.

21 Ciuitas ſupponitur Eccleſiaſtico Interdicto, quando eius Domini, vel Rectores non ſeruant in electione Summi Pontificis ea, quæ præſcripta ſunt in cap. vbi periculum, de elect. in 6. quoties Pontifex ibi decedit, & ibi eligendus eſt Succeſſor.

22 Vniuerſitas, ſeù Rectores Ciuitatis, vel Caſtri exigentes pedagia, gabellas, ſeù alias exactiones ab Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis ſunt excommunicati: Ciuitas autem, vel Caſtrum Eccleſiaſtico ſupponitur Interdicto, cap. Clericis de Imm. in 6. & cap. quamquam, de cenſibus in 6. donec exacta fuerint plenariè reſtituta, abſolutio eſt reſeruata, ante reſtitutionem iuxta regulam datam in expoſitione ſuſpenſionum.

23 Ciuitas, quæ auxilium, conſilium, vel fauorem præbet inſequentibus Cardinalem, vel ſi illos infra menſem punire neglexerit, Eccleſiaſtico ſup-

ſupponitur Interdicto non reſeruato. cap. felicis, de pęnis.

24 Ciuitas, Caſtrum, aut Territorium, in quo Epiſcopus à Domino, vel Rectore illius iniuriatur, percutitur, vel banditur, ſupponitur Eccleſiaſtico Interdicto, donec Epiſcopo condignè fuerit ſatisfactum; & ita pariter ſi Dominus ille mãdauerit, conſulerit, aut ratam habuerit iniuriam Clem. 1. de pęnis.

25 Regnum, vel Ciuitas impediens Legatum, vel Nuntium Pontificis, ne ibi ingrediatur incurrit Interdictum, donec deſtiterint impedire. Impedientes verò excõmunicationem incurrunt, Extrauag. ſuper gentes, de conſuetud.

26 Ciuitas, aut Terra Eccleſiaſticorum, qui per menſem perſtiterunt in excommunicatione contracta, eò quo permiſerint vſurarios commorari in illa Terra ad fænus exercendum incurrit Interdictum, donec vſurarij ab illa Terra recedãt; cap. vſurarum, de vſuris in *6.*

27 Terra in qua ſcienter fuit ſepultus hęreticus, aut eius receptator, defenſor, vel fautor incurrit interdictum, ideſt perpetuò inhabilitatur, vt alias poſſit ibi ſepeliri, cap. quicumque, de hæret. in *6.*

28 Eccleſia polluta ſanguine, vel ſemine remanet Interdicta.

29 Eccleſia per ſimoniam conſecrata, remanet Interdicta, cap. Eccleſia 1. qu. 4.

30 Eccleſia, ędificata ob quæſtus cupiditatem, & non ob deuotionem remanet Interdicta, cap. ſi quis baſilicam, de conſec. diſt. 1.

31 Eccleſia conſecrata ſine auctoritate Epiſcopi

eſt

eſt Interdicta, cap. præterea eod. tit.

32 Quando diſſentio oritur inter Patronos, ita, vt Præsbyteri impediantur Diuina perſoluere, Eccleſia eſt Interdicenda ab Epiſcopo, donec Patroni veniant ad concordiam, cap. 1. & 2. de Iure Pat.

Expoſitio Interdictorum.

AD ſanam intelligentiam huius materię de Interdictis, ſciendum eſt primò, quod Interdictum eſt quædam cenſura, ſeù pęna Eccleſiaſtica, quæ Sacramentorum vſum, Diuina officia, & Eccleſiaſticam ſepulturam prohibet, & qua deſcriptione apparet maximam eſſe differentiam inter suſpenſionem, & Interdictum. Suſpenſio enim impedit vſum tantum actiuum, Interdictum autem vſum actiuum, & paſſiuum. Vnde fit, quod ſuſpenſus ab ordine, & officio, licet non poſſit Sacramenta adminiſtrare, poterit tamen illa recipere, & etiã Diuinis intereſſe, vt laicus, & Epiſtolam canere, vt Clericus primæ tonſuræ, quæ, cum non ſit ordo, facit vt ſuſpenſus ab ordine non cenſeatur ſuſpenſus ab exercitio primæ tonſuræ: At Interdicto omnia hæc ſunt prohibita; quia natura Interdicti eſt non ſolum prohibere actionem, ſeù exercitium Diuinorum, ſed etiam paſſionem, & omninò hominẽ à Diuinis officijs, ac perceptione quorumdam Sacramentorum ſeparare.

Sciendum eſt ſecundò, quod Interdictum triplex eſt. Aliud eſt locale, aliud perſonale, aliud mixtum.

Interdictum locale eſt, quando interdicitur locus, ne ibi exerceatur vſus Sacramentorum neue detur Eccleſiaſtica ſepultura, & hoc duplex eſt:

generale ſcilicet, & ſpeciale: Locale Interdictum generale eſt, quando interdicitur tota Ciuitas, Oppidum, vel Caſtrum. Locale ſpeciale eſt, quando non omnes Eccleſiæ Ciuitatis interdicuntur, ſed vna, vel duæ, &c.

Interdictum perſonale adhuc eſt duplex, perſonale generale, & perſonale ſpeciale, primum eſt, quando totus Populus interdicitur, ſecundum, quando aliquæ perſonæ, aut vna tantum interdicitur.

Interdictum mixtum eſt illud, quod componitur ex vtroque, locali nempè, & perſonali; hoc eſt dum Locus, & Populus interdicitur hinc.

Infertur primò, quod Interdicto Loco, ſeù Ciuitate non cenſetur interdictus Populus, niſi aliud exprimatur, vnde fit, quod perſonæ poſſunt in aliã Ciuitatem commeare, & ibi Diuinis officijs aſſiſtere, dummodo ipſæ non dederint cauſam Interdicto, quia ſi aliquis committat delictum, ob quod Ciuitas ſupponitur Interdicto, ipſe, vt dans cauſam interdicto, remanet perſonaliter interdictus, cap. ſi ſententia de ſent. excom. in *6.* Ita pariter Interdicta Eccleſia non cenſetur Clerus Interdictus, vnde poterint Sacerdotes in alia Eccleſia non Interdicta celebrare, aliaquè Diuina perſoluere, modo ipſi non fuerint in cauſa culpabili, ob quam latum eſt Interdictum.

Infertur ſecundò, quod interdicta Ciuitate cenſentur etiam Interdicta ſuburbia, etiam ſi ſuburbia ſint alienæ Diœceſis, & non ſubiecta illi Epiſcopo, à quo latum eſt Interdictum; cap. ſi Ciuitas, de ſent. excom. in *6.* & ratio eſt, quia alias paruipenderetur Interdictum. Fruſtrà enim interdiceretur Ci-

uitas, ſi Populus poſſet ad ſuburbia accedere ad Diuina officia audienda, ita Suar. de cenſ. diſp. 32. ſect. 2. nu. 23. & omnes alij communiter, & ob eamdem rationem cenſentur etiam Interdictæ Eccleſiæ Regularium, quamuis alias ſint exemptæ, Trid. ſeſſ. 25. de Reg. cap. 12. & 22.

Infertur tertiò, quod Interdicto Populo, nõ cenſetur Interdicta Ciuitas, Interdictum enim locale generale diſtinguitur ab Interdicto perſonali generali, & conſequenter poſito vno non cenſetur poſitum alterum, niſi exprimatur, quia in odioſis non datur extenſio: Ita ſimiliter Interdicto Populo non cenſetur interdictus Clerus, & ècontra interdicto Clero non cenſetur interdictus Populus, vnde fit, vt, Interdicto Clero, poterit Populus conuocare Sacerdotes exteros ad Diuina officia perſoluenda, ac Sacramenta adminiſtranda; & Interdicto Populo, poterit Clerus Diuina peragere, Ianuis Eccleſiæ clauſis, ne populo pateat aditus, Nauar. & alij apud Bonac. de cenſ. diſput. 5. pun. primo, nu. 15. quicquid dicant alij.

Infertur quartò, quod poſito Interdicto perſonali generali, vel mixto, perſonæ vbicumque perrexerint ſecum ferunt Interdictum loci, quia hoc Interdictum ſequitur perſonas, ideoque ſolet vocari à Canoniſtis Interdictnm deambulatorium, Tolet. cap. 52. nu. 3. & communiter omnes.

Sciendum eſt tertiò, quod Interdictum, quando abſolutè, & abſque vlla limitatione latum eſt plures habet effectus.

Primus effectus eſt priuatio Diuinorum officiorum, ac celebrationis Miſſarum.

Secundus effectus eſt priuatio quorumdam Sacra-

cramentorum; putà Euchariſtiæ, extremæ vnctio-nis,& ordinis.

Tertius effectus eſt priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ex quo ſequitur primò, quod tempore interdicti generalis non poteſt miniſtrari Sacramentum Euchariſtiæ, niſi morientibus per viaticum, cap. permittimus, de ſent. excom. quia tunc vrget Ius Diuinum, quod præponderat præcepto Eccleſiaſtico.

Secundò ſequitur, quod tempore Interdicti localis generalis neque Clericis miniſtrari poteſt Sacramentnm extremæ vnctionis, etiam ſi Clericus non ſit Interdictus, Bonac. vbi ſupra, pun. 3. §. 3. nu. 4. Paludanus verò in 4. diſt. 18. qu. 8. art. 2. citatus ab eod. Bonac. exiſtimat poſſe Sacramentum prædictum Clericis non perſonaliter interdictis miniſtrari.

Tertiò ſequitur, quod Interdictus perſonaliter non poteſt recipere Sacramentum extremę vnctionis, etiam ſi reperiatur in loco non Interdicto, quia Interdictum perſonale afficit perſonam in quocumque loco reperiatur, ita communiter DD. Notandum verò eſt cum Tamburr. lib. 10. de cenſ. cap. 1. quod ſi moribundus non potuerit recipere Sacramentum pęnitentiæ, poterit ei Sacramentum extremæ vnctionis adminiſtrari; Ratio eſt, quia ſi hic non poterit elicere, niſi actum attritionis, cum Sacramento extremæ vnctionis efficitur contritus, & ſic ſaluatur, & ſine ipſo Sacramento damnaretur.

Pro clariori autem intelligentia prædictorum effectuum eſt aduertēdum, quod Iure antiquo, hæc tantum concedebantur tempore Interdicti localis generalis, primo ſcilicet, vt Parochus, ſeù Rector

Eccleſię ſemel dumtaxat in hebdomada poſſet Miſſam celebrare pro mutanda Euchariſtia : Secundò concedebatur Præsbyteris recitare horas Canonicas ſine cantu,idque non à pluribus , quam à tribus ſimul : Tertiò,quod Pęnitentiæ , & Euchariſtiæ Sacramenta exiſtentibus tantum in articulo mortis concederentur, quanto denique,quod Clerici non perſonaliter Interdicti ſepeliri poſſent in Cęmiterio , cap. permittimus , de ſent. excom. & cap. quod in te,de pęnit. & remiſſ.

Bonifacius autem Octauus in cap. Alma mater, de ſent. excom. in 6. mitius agens prædictas conceſſiones ampliauit,ac ſtatuit , vt tempore Interdicti localis generalis poſſint Præsbyteri non interdicti perſonaliter Miſſas celebrare, & alia Diuina perſoluere ; his tamen conditionibus adiectis , primò nempè,vt id fiat Ianuis Eccleſię clauſis,& voce ſubmiſſa,ne moraliter à Populo audiri queant ; ſecundò, vt non pulſetur campana, quæ tamen poterit pulſari ad conuocandum Populum ad Concionem,& ad ſignum ſalutationis Angelicæ , & ſecundum aliquos,quos citat Tamburr. vbi ſupra, poterit etiam pulſari ad eleuationem Euchariſtiæ admonendum Populum,vt reuerentiam Domino exhibeant .

Secundò,idem Bonifacius conceſſit, vt tempore Interdicti poſſit omnibus miniſtrari Sacramentum pęnitentiæ (quod Iure antiquo concedebatur tantùm exiſtentibus in articulo mortis) exceptis tamē excommunicatis,ac ijs,qui dederunt cauſam Interdicto, conſilium , aut fauorem , quibus (cum ſint perſonaliter interdicti) non miniſtratur Pęnitentia, niſi in articulo mortis,& tunc cum cautione ſaltem

Iura-

Iuratoria de ſatisfaciendo, ac de faciendo totum poſſe, vt à delinquentibus ſatisfactio exhibeatur.

Tertiò, idem Bonifacius, Martinus v. & Eug. 4. conceſſerunt, vt tempore Interdicti generalis localis Diuina officia publicè celebrentur in Solemnitatibus Natalis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimę Virginis, & Corporis Domini, cum tota Octaua, ea lege, vt ij, qui cauſam Interdicto dederunt non appropinquent ad Altare; excommunicatis verò omninò excluſis.

Sciendum eſt vltimò, quod Interdictum, quando non eſt latum abſolutè, ſed cum reſtrictione, & limitatione ad aliquam actionem, illam ſolam actionē prohibet, quæ interdicitur, & omnem aliam, quæ in ea includitur, quia effectus Interdicti poſſunt ſeparari ab Epiſcopo, qui tulit Interdictum, ad differentiam excommunicationis, qui ab Epiſcopo ſeparari non poſſunt; vnde fieri poteſt, vt aliquis interdicatur ab officio Sacerdotali tantum, & non à ſepultura, vel ab officio prædicandi, & non à Sacramentorum adminiſtratione, vel ab audiendis Confeſſionibus, & non ab alijs Sacramentis, ex quo

Sequitur: Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ priuari actione, ſeù exercitiò ordinis Sacri, & conſequenter non poteſt celebrare, & Sacramenta miniſtrare in Eccleſia, & miniſtrando, ſeù Sacros ordines in Eccleſia exercendo, Irregularitatem incurreret, quia violaret Interdictum ordinis per exercitium ordinis; dixi in Eccleſia, quia poterit celebrare extra Eccleſiā in Oratorio priuato; Interdictus enim ab Eccleſia non cenſetur interdictus ab Oratorio, vt aiunt Nauarr. Couar. & alij apud Bonac. vbi ſupra p. 5. nu. 11.

In-

Inſuper Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ operatur, vt hoc modo Interdictus non poſſit audire Diuina officia, nec ipſis intereſſe, vt in cap. is cui, de ſent. excom. & audiendo mortaliter peccat, quia facit contra Interdictum in re graui, Irregularitatem autem minimè incurreret, quia non violaret cenſuram per exercitium ordinis: Poterit tamē Sacramenta recipere in Eccleſia, dum Diuina non celebrantur officia, quia Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ non eſt priuatus vſu Sacramentorum, ſed vſu Diuinorum officiorum; vt ait Sayr. de ſuſpenſ. cap. 7. num. 11.

Et denique Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ priuatur Eccleſiaſtica ſepultura, vt habetur in dicto cap. is cui; & ecce tres effectus, quos operatur Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, nempè priuationem exercitij ordinis Sacri in Eccleſia; Vſus Diuinorum officiorum; & Eccleſiaſticæ ſepulturæ.

Hæc breuis notitia omnium Cenſurarum ſufficiat, quam edere, ac cenſuras omnes excerpere, opere pretium eſſe, duximus, ad erudiendos nonnullos Sacerdotes, quos in Sancta Viſitatione omninò cenſurarum ignaros comperimus.

Ex-

PRima Excommunicatio latæ ſententiæ fertur contra non denunciantes hæreticos, ſortilegos, magos, incantatores, alioſuè de hæreſi ſuſpectos, pro vt & libros prohibitos legentes, aut retinentes. cap. 1. de fide cath.

2 Contra ingredientes Sacriſtiam, aut Chorum, dum Diuina perſoluuntur, cap. 6. de ſacroſanc. Eccleſ.

3 Contra quoſcumque, qui tempore baccanali in diebus feſtis, & ferijs ſextis ſe perſonauerint, cap. 2. de feſtorum obſer.

4 Contra Confeſſarios abſoluentes ſocios in crimine, & eſt latæ ſententiæ, cap. 5. de Sacramento pęnit.

5 Contra tradentes, aut promittentes aliquod munuſculum mediatoribus, vel interceſſoribus ad ordines conſequendos fertur excommunicatio latæ ſententiæ, cap. 2. de Sacramento ordinis, & in Extrauag. deteſtabile, de ſim.

6 Contra conſtituentes fictum patrimonium ad ordines Sacros ſuſcipiendos fertur excommunicatio latæ ſententiæ, cap. 8. eod. tit. Clericus verò incurrit suſpenſioné reſeruatã Summo Pont.

7 Contra non denunciantes impedimenta Matrimonij, aut falſum ſcienter opponentes fertur excommunicatio latæ ſententiæ, cap. 4. de Matrim.

8 Contra accedentes ad Sponſarum domus, cap. 6. eod. tit.

9 Contra fratres, & ſorores concubantes in eodem lecto, cap. 1. de cohabitatione virorum, & mulierum.

Con-

10 Contra Laicos,in ſuis miniſterijs mancipantes Clericos in ſacris conſtitutos fertur excommunicatio latæ ſententiæ, cap. 1. de dignitate Eccleſiaſtica.

11 Contra recipientes Viſitationes condolentiũ vltra octo dies, ac contra vocantes mulieres ad laudandum,plorandumque Defunctum, cap. 8. de ſepult.

12 Contra impedientes Curſores Epiſcopalis Curiæ, aliosuè Miniſtros, ne ſuum munus expleant cap. 1. de Cancellaria, & Trib. Epiſc.

13 Contra Officiales eiuſdem Curiæ Epiſcopalis exigentes emolumenta vltra taxam, cap. 3. eod. tit. Eãdem excommunicationem incurrant fraudantes emolumenta Cancellariæ, quæ nos ad beneficium pauperum deputauimus.

14 Contra aſportantes, ſeù aſportari facientes ſcripturas originales à Cancellaria Epiſcopali, cap. 6. eod. tit.

15 Contra accedentes ad Monaſteria Monialiũ, abſque noſtra expreſſa licentia; Necnon contra alloquentes Moniales in Crates intus Eccleſiam exiſtentes, ſeù in feneſtella Sacræ Communionis,cap. 2. 4. & 5. de Monialibus.

16 Viſitatio condolentium in Monaſterio Monialium,ſub pœna excommunicationis prohibetur,cap. 7. eod. tit.

17 Contra emptores,& venditores ſtabilium reticentes ſcienter onus ipſis annexum in Inſtrumento venditionis, ac contra Notarios, alioſuè callidè conſulentes,cap.7. de Adminiſtrat. bon. Eccleſ.

18 Contra Notarios, alioſuè non denunciantes

infra

infra bimeſtre pias diſpoſitiones, cap. 8. eod. tit.

19 Contra Detinentes ſcripturas ad Eccleſias, aliauè pia loca pertinentes, & infra menſem non reſtituentes, cap. 11. eod. tit.

20 Contra Medicos tertiam viſitationem, Infirmis præſtantes, niſi eis conſtiterit de Sacramentali Confeſſione ab infirmis facta fertur excommunicatio lata in Edicto de Medicis.

Suſpenſiones Synodales.

PRima ſuſpenſio comminatur contra Parochos non docentes per ſeipſos Doctrinam Chriſtianam, dum legitimo impedimento non ſunt detenti, cap. 3. de Doctrina Chriſt.

2 Contra Parochos iniũgentes in Matrimonium rudes initiorum fidei, cap. 6. eod. tit.

3 Contra Punctatorem nõ fideliter punctantem, ac contra Canicos, aliaſuè propria auctoritate punctationes delentes, cap. 3. de Diſtribut. & Punctatore.

4 Contra ſumentes tabaccum ſiuè per os, ſiuè per nares ante celebrationem Miſſæ per horam, cap. 2. de Celebr. Miſſ.

5 Contra adnotantes ſatisfactionem Miſſarum, & Anniuerſariorum in Libro, dum ipſas Miſſas, aut Anniuerſaria non celebrarint, ca. 4. eod. tit.

6 Contra adminiſtrantes Sacramenta ſine talari habitu, ſuperpelliceo, & ſtola, niſi fortè repentina cauſa id non permittat, cap. 3. de Sacram. admin. & Sac. Congregatio die 10. Iul. 1625. & cap. 1. de Pęnit. Sac.

7 Contra recipientes aliquod munuſculum ob

Sacramentorum adminiſtrationem, cap. 4. eod. tit.

8 Contra Sacerdotes audentes Sacramentum Baptiſmi adminiſtrare abſque expreſſa Epiſcopi licentia, cap. 2. de Baptiſmo.

9 Contra Confeſſarios audientes Confeſſiones muelierum ægrotantium clauſo cubiculo, cap. 2. de Sacram. Pęnit. & Sac. Congregatio vbi ſupra.

10 Contra Confeſſarios imponentes pœnitentias pecuniarias ſibi applicandas, cap. 7. de Sacram. Pęnit.

11 Contra Clericos in Sacris conſtitutos ſæcularibus inſeruientes, necnon & illis locum cedentes, cap. 1. & 2. de Dignit. Eccleſ.

Interdicta Synodalia.

1 COntra Sacerdotes recipientes eleemoſynas pro Miſſis celebrandis, nõ ſatisfactis prius oneribus antea ſuſceptis fertur Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, cap. 6. de Celebrat. Miſſarum, Decretum Vrb. Papæ 8. Cum ſæpè contingat.

2 Rappreſentationes, ſeù Spectacula, Commeſtiones, Merendæ, Dormitiones, alięuè ſimiles actiones prohibentur in Eccleſia ſub pęna Interdicti ipſius Eccleſiæ, cap. 1. de Sacroſanct. Eccleſ. & in Edicto.

3 Contra Laicos patientes ſibi cedi locum à Sacerdotibus fertur Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, cap. 2. de Dignit. Eccleſ.

4 Contra exhumantes Arcas Defunctorum ante biennium, cap. 6. de Sepul.

FERIA

FERIA QVINTA

Die 24. Septembris 1665.

IN CONGREGATIONE GENERALI Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. Alexandro Diuina Prouidentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

SAnctiſſimus D. N. audiuit non ſine magno animi ſui mærore, complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm ſuſcitari, partim nouiter prodire: Et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne vllo vnquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas, Deus, cuius verba in æternum permanent; arctam eſſe definiuit, in animarum perniciem dilatari, ſeù veriùs peruertit contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. vt oues ſibi creditas, ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam euocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris,

giſtris, & deindè Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: Quin tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitatis ſuæ ſingillatim pertinentium expoſuerunt.

1 HOmo nullo vnquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno *1629.* 18. Iulij in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſs. Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4 Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5 Quamuis euidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare ſi probare non poſſis.

6 Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollici-

taſſe in Confeſſione; ac proindè non eſt denunciandus.

7 Modus euadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt; Si ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſoluere abſque onere denunciandi.

8 Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani VIII.

9 Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collatio illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.

10 Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus ſacrificijs ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre; Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam iuramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12 Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13 Satisfecit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.

14 Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi

alium

alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis Viris prędicta impingere niſi occidatur.

18 Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehenſam.

20 Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſciéntia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eò quod ſit pœna.

21 Habens Cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfecit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

22 Non eſt contra iuſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione Beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur,

tur,non peccat mortaliter,niſi ex contemptu,vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubijcere præcepto.

24 Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ,ideoque ſufficit dicere in Confeſſione,ſe procuraſſe pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: Commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

27 Si liber ſit alicuius iunioris,& moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dùm non conſtet, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

QVibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura,& ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit,& decreuit prædictas Propoſitiones,& vnamquamque ipſarum,vt minimùm, tanquam ſcandaloſas,eſſe damnandas,& prohibendas ſicut eas damnat, ac prohibet: ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè,publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente,

gente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpecialis ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Not. &c.

Loco ✠ Sigilli.

ANno à Natiuitate Domini Noſtri IESV Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia, die verò 2. menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, Domini Noſtri D. Alexandri, Diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

FERIA QVINTA

Die 18. Martij 1666.

IN CONGREGATIONE GENERALI Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. Alexandro Diuina Prouidentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hęreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

Sanctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè vſque ad hanc diem infraſcriptis alijs quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reuerendiſſimos DD Cardinales aduerſus hæreticam prauitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit.

PRopoſitio 29. In die Ieiunij, qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Ieiunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Ieiunio.

31 Excuſantur abſolutè à præcepto Ieiunij om-

nes illi,qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant.

32 Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33 Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit.

34 In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

35 Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

36 Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum.

37 Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie ſunt reualidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

39 Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40 Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem,& ſenſibilem,quę ex oſculo oritur,ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.

41 Non eſt obligandus concubinarius ad eijciēdam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinari, vulgò *regalo*, dùm deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ

epulæ

epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inueniretur.

42 Licitum eſt mutuanti aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.

43 Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44 Quoad forum conſcientię, Reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45 Libri prohibiti donec expurgētur, poſſunt retineri, vſque dùm adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decreuit, prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vt minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præter quam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Not. &c.

Loco ✠ Sigilli.

ANno à Natiuitate Domini Noſtri IESV Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, die verò 23. menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, D. N. D. Alexandri, Diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ inquiſitionis Curſorem.

FERIA QVINTA

Die 2. Martij 1679.

IN CONGREGATIONE GENERALI Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo D. N. D. Innocentio Diuina Prouidentia Papa XI. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictas ouium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxijs doctrinarum paſcuis ab innoxijs à fel. rec. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo incheatum proſequi volens plurimas Propoſitiones partim ex diuerſis, vel libris, vel theſibus, seù ſcriptis excerptas, & partim noui-

ter

ter adinuentas Theologorum plurium examini, & deindè Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus Propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpiùs diſcuſſis eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis. Idem Sanctiſſimus D. N. re poſteà maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit pro nunc ſequentes Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicuti iacent, vt minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in ipſo non expreſſas; & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas vllatenus approbare.

1 NOn eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2 Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3 Generatim dum probabilitate, ſiuè intrinſeca, ſiuè extrinſeca, quamtumuis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabile.

5 An peccet mortalitèr, qui actum dilectionis

Dei

Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile eſt, nè ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc ſolum obligat, quando tenemur iuſtificari,& non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.

8 Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum,modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9 Opus Coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno,& formali.

11 Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12 Vix in Sæcularibus inuenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui: Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes abque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

Lici-

15 Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſecutas.

16 Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

17 Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.

18 Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno.

19 Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20 Hinc poteſt quis prudentèr repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21 Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis; imò cum formidine, qua quis formidet; nè non ſit locutus Deus.

22 Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimiliuè motiuo ad iuſtificationem ſufficit.

24 Vocare Deum in teſtem mendacij leuis non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25 Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiuè res ſit leuis, ſiuè grauis.

26 Si quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſiuè interrogatus, ſiuè propria ſpontè, ſiuè recreationis cauſa, ſiuè quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo

intra

intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum reuera non mentitur, nec eſt periurus.

27 Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30 Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre ſi alitèr hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel ſuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31 Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei.

32 Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quę ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33 Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur ſe talitèr defendere; ſicut

cut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatùr, aut infametur.

35 Videtur probabile omnem fœtum, quandiù in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur, ac conſequentèr dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36 Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.

37 Famuli, & famulæ domeſticæ poſſent occultè hæris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39 Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40 Contractus Mohatræ licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

41 Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid vltrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.

42 Vſura non eſt, dùm vltrà ſortem aliquid exigitur, tamquam ex beneuolentia, & gratitudine

debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum.

43 Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritate magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44 Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46 Et id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; imò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpirituales.

47 Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortalitèr peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtile, ipſi iudicauerint, ad Eccleſias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendarum ſumpto comparatiuo propoſitiuo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando ſit concurſus.

48 Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolùm eſſe malum, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

Molli-

49 Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Vnde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50 Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51 Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcientès adiuuat herum ſuum aſcendente per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortalitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus;

53 Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor ſimul à diuerſis Celebrantibus audit.

54 Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens Confeſſio, & Commuuio, etiam in his, qui gentilitèr viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

57 Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

58 Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

59 Licet ſacramentalitèr abſoluere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœniten-

nitentium qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

61 Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62 Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63 Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporale noſtro, vel proximi.

64 Abſolutionis capax eſt homo, quamtumuis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiam ſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

65 Sufficit illa Myſteria ſemel crediſſe.

Quicumque autem cuiuſuis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctìm, vel diuiſìm defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputatiuè, publicè, aut priuatìm tractauerit, vel prædicauerit, niſi forsàn impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi

pro

pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandèm, vt ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeù Scholaſtici, aut alij quicumque in poſterùm ſe abſtineant, & vt paci, & charitati conſulatur idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, vt tàm in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conuicijs contra eas propoſitiones, quæ adhùc inter Catholicos hincindè controuertuntur, donèc à S. Sede recognitæ, ſuper ijsdem propoſitionibus iudicium proferatur.

Franciſcus Riccardus S. Romanæ, & Vniuer-uerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

ANno à Natiuitate D. N. IESV Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecunda, die verò 4. menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentij Diuina Prouidentia Papæ XI. anno tertio, ſupradictū Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Perinū eiuſdē Sāctiſſimi D.N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorē.

DE-

DECRETA

SAC. CONGREGATIONIS CONCILII S. D. N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. authoritate edita, de Celebratione Miſſarum.

CVM ſæpè contingat in quibuſdam Eccleſijs tàm magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri; & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur. Indequè fiat, vt depereant piæ teſtantium voluntates; obſtricta benefactoribus fides violetur; Defunctorum animæ ſuffragijs priuentur; Eccleſijs debitum ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles graui ſcandalo affecti plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter cætera fomentum prębeat, aut quod ij, qui Miſſas ſupra viros celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui ad pauciorem numerum reductum iri; aut quod Eccleſijs, ſorte pecuniamrum aſſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum abſque vllo emolumento, aut quod eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac iuſtitiæ maximè

mè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica convellere, atque eradicare: Sanctiſſimi D. N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis: ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur; quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis, celebrandis plura ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſiuè ab vna, ſiuè à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuſcumque, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus. Sacra Congregatio ſub obteſtatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; ita vt alioquin ij, ad quos pertinet,

net, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obſeruetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis perſonis, Eccleſijs, ac locis pijs, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeù orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynę ſibi retẽta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſijs, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſitæ ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta; ſtatuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet (ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrendo) à die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant

penes

penes ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, ſeù illorum pretium quamprimum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna, vt ſupra, deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tàm Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum; sæculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij; Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis & gratis concedenda: alioquin sæcularis, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pęnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuę inhabilitatis ad alia de cętero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuę, abſque alia declaratione incurrat. Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum idem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſi-

moſynis, etiam ſpontè oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſijs cum inſcriptione illa (*Eleemoſyna pro Miſſis*) vel alia ſimili, ſub ijſdem pœnis ipſo facto incurrendis; ne fideles hac ratione fruſtrentur. Epiſcopus verò, ſeù eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tàm nouo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe: præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur; omninò reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ: intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint; in Nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſſimi Patres, non ſine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex maiori Regularium numero quam ferant redditus, & eleemoſynæ cuiuſque Monaſterij inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilij decretis hac de re editis, Sanctiſſimi Domini Noſtri authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis

Gene-

Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumque alijs Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac Domorum Regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacentium; vt ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & prouentus omnes; conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones, tàm communes Monaſteriorum, Conuentuum, & Domorum eiuſdem Prouinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeù permiſſas, in communem vſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoſcant; ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera conſueuerunt abſorbere; eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cuius intereſt, in proximo Capitulo, ſeù Congregatione Generali, vel Prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeù Congregatione deligendis, proponat; qui, computatis huiuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot religioſi homines (connumeratis etiam laicis, alijſque neceſſarijs ſeruientibus)

 in

in vnoquoque Monaſterio, Conuentu, & Domo Regulari, iuxta regionis, & proprij Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, & competenter valeant ſuſtentari. Tùm eorundem bonorum, redditiuum, eleemoſynarum; & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeù Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuiuſque familiæ, Monaſterij, Conuentus, ac Domus Regularis in ſingula quaque Prouincia certus earum tantum perſonarum numerus, Patrum Capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperius, ſufficienter ali poſſint. Nè verò Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat Sac. Congregatio, vt infra annum, poſt proximum Capitulum Generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta in authenticam formam redacta ad Sacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant; numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi Regularium, Capituli, ſeù Congregationis Generalis, vel Prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tàm Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò ſeruare omninò teneantur; nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditũum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia: Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſupra præſcriptum,

 quo-

quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis, Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeù Regularium, nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeù Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum decreti fel. rec. Gregorij XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeù deſuetudinem abeant, Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum, ſexto quoque menſe, id eſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur.

Om-

Omnibus tàm Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcumque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis quocumque honore, ac poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus (quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta) Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Inſtituti, etiam neceſſario, & indiuiduo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tàm Sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Marc Magno, ſeù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeù extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenori-

bus,

bus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, (non autem per clauſulas generales) mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, (illis alias in ſuo robore permanſuris) Sac. Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit; voluit eadem Sacra Congregatio, vt præſentes Ordinationes in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Vtque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

COSMVS CARDINALIS DE TORRES.

Loco ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Cong. Sec.

DECLARATIONES ALIQVOT *Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani VIII. auctoritate editæ, ſuper Decretis eiuſdem Congregationis, de Celebratione Miſſarum.*

SVper primò Sacræ Congregationis Decreto, de Celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo, reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid ſi legatum ſit ita tenuè, vt non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire; &, ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit huiuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo eiuſdem Congregationis decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

Quæritur: an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeù cappellæ, legati, aut ſala-

ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votiuis, aut Defunctorum recipere; & vnico Miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quod teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ: Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere; an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario.

Sextò, ſuper tertiò Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeù orationibus, pluribus Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Priuilegium?

Septimò, ſuper quartò eiuſdem Congregationis decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauò, an hoc decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ideſt, An Rector Beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium

ad rationem reddituum Beneficij?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt: an verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Vndecimò, ſuper quintò eiuſdem Congregationis decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: *Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis*, ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc decretum prohibeat abſolutè, quo minus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt: & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſam celebret cum primum poterit?

Decimotertiò, an pœna interdicti, & aliæ oppoſitæ in eodem decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptàm, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs, vt ibidem præcipitur?

Decimoquartò, an in hoc decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis Omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur *Caſſe de' Morti?*

Decimoquintò, an adminiſtratores Eccleſiæ ma-

 gnæ

gnæ deuotionis, & concurſus poſſint eleemoſy-
nas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi ijſdem
Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere
valeant, ne alias cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac
concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur.

Decimoſextò, quia prohibitio dicti decreti vide-
tur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs,
Societatibus, Congregationibus, necnon om-
nibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum loco-
rum, tàm Sæcularium, quàm Regularium, Su-
perioribus, de quibus ſit expreſſa mentio: non
autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen com-
prehendi videntur ſub clauſula generali (& alij
ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna
declaratione?

Decimoſeptimò, ſuper ſeptimò eiuſdem Sacræ
Congregationis decreto quo cauetur, vt in ſin-
gulis Monaſterijs Religioſorum præfigatur nu-
merus, qui ex conſuetis redditibus, aut elee-
moſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Quæritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in
vim ſimilis Decreti ſan. mem. Pauli V. abſque
tamen computatione reddituum cuiuſque Reli-
gioſi, ſit denuò facienda, nec ne?

Decimooctauò, an Nouitij, ad habitum Regula-
rem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in
Monaſterijs, in quibus, habita vt ſupra præfi-
xione numeri commodè ali non poſſunt?

Decimononò, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nul-
libi recipiantur Conuentus Regularium, niſi
prẹter alia ad id requiſita; duodecim ſaltem Fra-
tres in eis degere, & cōpetenter ſuſtentari valeāt,
ita vt alioquin ſubſint iuriſdictioni ordinariæ.

Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimò, an idem Decretum, vbi diſponit, *vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c.* habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens; an verò etiam extra Italiam?

SAcra Congregatio Card. Concilij Tridentini Interpretum; auctoritate ſibi à Sanctiſs. D. N. attributa; ad ſingula dubia ſuperius propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenuè, nihilominus, pro reductione oneris, vt ſupra, impoſiti ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam; quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit. Verumtamen ſi in ipſa beneficij erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari; legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit; tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeù cappellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeù illorum adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam, portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione; niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ ſacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt (expenſis vt ſupra deductis) abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ob offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum, non habere locum; ſed ſatis eſſe, vt Rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ: niſi in fundatione ipſius benefi-

cij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleemo-ſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad vndecimum, reſpondit, non prohiberi abſolutè. Ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant: ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat; vt illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit: decretum non prohibere, quo minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro ijsdem Miſſis iuxta benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimumſextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſeruata forma vltimi decreti hac de re editi.

Ad

Ad decimumoctauum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi alias habiles exiſtant; ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.
Ad decimumnonum, cenſuit comprehendere.
Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

COSMVS CARDINALIS DE TORRES.

Loco ✠ Sigilli.

Proſperus Fagnanus Sac. Cong. Sec.

DE OFFICII DIVINI, ET MISSARVM CELEBRATIONE.

Decretum Sacræ Congreg. Rituum vbique obſeruandum.

SAcra Rituum Congreg. ad tollendos abuſus, qui varijs in locis irrepſerunt, re maturè diſcuſſa, cenſuit, & decreuit.
Primò, non potuiſſe, nec poſſe locorum Ordinarios, tàm Seculares, quàm Regulares, addere Kalendarijs etiam proprijs, Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeù Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur.
Inſuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſque Ordinarij auctoritate, Miſſam, vel Feſtum cum Offi-

cio

cio de Sancto,eo quòd in loco adſit Eccleſia Parochialis,vel Regularis,aut aliqua Reliquia: ſed tantum in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeù vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, & non alibi.

Inſignes autem Reliquias declarauit eſſe Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis,in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinarijs approbata.

Miſſas item,quæ circumferuntur, à Sacra Congregatione non approbatas, Sancti Gregorij pro Viuis,& Defunctis XV. Auxiliaturum,& de Patre æterno, & quaſcumque alias; exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ Regularibus tantum; veluti Roſarij,Sanctæ Mariæ de Carmelo,& alias,ſicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit,reiecit omninò, & damnauit reſpectiuè; & prohibitis,& damnatis haberi voluit.

Quæ omnia decreuit, ſtatuit,& mandauit ſub pęnis contentis in Bullis Pij Quinti, initio Breuiarij, & Miſſalis poſitis, quod ſcilicet non ſatisfaciant muneri recitandi Diuini Officij. Quo verò adutentes ſupradictis Miſſis, ſub alijs pęnis contentis in Indice Librorum prohibitorum,ex Decreto Sacri Concilij Tridentini edito.

Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit ab aliquo prætendi, neque obliuio poſſit irrepere: Eadem Sacra Congregatio voluit,& mandauit,Decreta huiuſmodi affigi in Sacriſtijs omnium Eccleſiarum tàm Sæcularium, quàm Regularium,etiam Parochialium; Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & aliarum quarumcumque,in eiſque perpetuò affixa aſſeruari.

Facta

Facta demum relatione horum Decretorum Sāctiſſimo Domino Noſtro Vrbano Papæ VIII. Idem Sanctiſſimus ea laudauit, approbauit, atque ab omnibus vbique ſub prædictis pœnis ſeruari præcepit. In quorum fidem manu, & ſigillo Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Deti præſens decretum ſignatum, & munitum fuit. Die 8. Aprilis 1628.

IO: BAPT. CARDINALIS DETVS.

Loco ✠ Sigilli.

F. Fuluius Benignus Sec.

DECRETA

A SAC. RITVVM CONGREGATIONE In ordine ad Miſſam, & Diuinum Officium, poſt Miſſalis, ac Breuiarij Romani recognitionem, condita.

Ex Commentarÿs in Rubricas eiuſdem Miſſalis, ac Breuiarÿ, ab Adm. Reu. P. D. Bartholomæo Gauanto Cler. Regul. S. Pauli, eiuſdemque Sac. Congregationis Conſultore editis.

1 POteſt celebrari Miſſa pro Defunctis ritu de Requiem, in Dominicis, & Feſtis; inſepulto, & in Eccleſia præſente corpore: Sic decreuit Sacra Rit. Congregatio die 23. Maij 1603. Vbi nimirum viget conſuetudo ſepeliendi defunctos

 ſimul

ſimul cum Miſſa. Si quis autem moriatur in die Paſchæ, corpus eius reſeruetur in ſequentem diem, ob reuerentiam Paſchæ: ex Rituali Romano Pauli V.

2 Si terminatur Proceſſio Litaniarum Maiorum ad Eccleſiam S. Marci, cantatur ibi Miſſa de S. Marco. Eadem Sacra Congregatio die 23. Maij 1603.

3 Cineres, qui imponuntur capitibus fidelium, debent eſſe aridi; non in modum luti ſunt diſtribuendi 23. Maij 1603.

4 In Canone nomine Antiſtitis non ſunt nominandi Superiores Regularium, die 12. Nouembris 1605. Nec inferiores Epiſcopo.

5 Miſſa de Annunciatione B. Virginis non eſt celebranda à feria quinta maioris Hebdomadæ vſque ad feria 3. Paſchæ incluſiuè, die 9. Maij 1606.

6 Gloria in Excelſis cum Credo omittitur in votiuis pro re graui, quando dicuntur cum paramentis violaceis, die 19. Maij 1607. Res autem grauis ea eſt, pro qua conuenit totus Clerus cum Epiſcopo, vt eadem Sac. Rit. Congreg. decreuit eadem die.

7 Cereus Paſchalis regulariter accendi debet, ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis vſque ad Aſcenſionem; in alijs ſeruanda eſt conſuetudo locorum, die 19. Maij 1607.

8 Tolerari poſſunt Miſſæ de Requiem in feſto duplici, quod non eſt de præcepto, pro voluntate Teſtatorum implenda, die 1. Septembris 1607. Non ait ad arbitrium viuorum, quod benè

nè nota, ſed pro implenda lege Defunctorum.

9 In Altari priuati Oratorij, cui conceditur ex priuilegio Apoſtolico celebratio Miſſæ (exceptis ſolemnioribus feſtis) non poteſt in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, Pentecoſte, Annũciatione, Aſſumptione B. Virginis, Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum, die 17. Nouembris 1607.

10 Communio Cleri facienda eſt in Cœna Domini, die 27. Nouembris 1608.

11 Miſſæ Defunctorum certo die dicendæ, eo impedito transferuntur in ſequentem, die 27. Septembris 1608.

12 Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ Campanę ante Cathedralis, ſeù Matricis ſignum, die 21. Martij 1609. Neque in Diœceſi ante Parochialis ſignum, 9. Februarij 1608.

